SICA TRAGICA COMITI MAVRITIO A IESVITIS

ut aiunt Caluinistæ Leydæ intentata

Nuper Germanicè

A FRANCISCO COSTERO

Nunc Latinè edita

AB AEGIDIO SCHONDONCHO

vtroque Societatis IESV Sacerdote.



ANTVERPIAE,
Apud Ioachimum Trognæsium.
M. D. XCIX.

AEGIDIVS SCHONDONCHVS LECTORI S.

FERVNT Annibalem bello Pontico omne ſerpentum genus fictilibus vrnulis & capedunculis incluſum in hoſtium naues conieciſſe. Viſum id primùm futile, fictilibus dimicaſſe; dum deinde tetri morſus ac venenati rem ſeriam docuêre. Annibalem nuper imitati ingenuæ illius Batauæ gentis oppreſſores Caluiniſtæ, qui virulẽtum in nos Scriptum

vulgauêre. Aiebant ſummiſiſſe Comiti Mauritio percuſſorem. Figmentum rude ac luteum; ſed dracunculorum ac veneni plenum. Momordit. Nos, an Auditorem? hunc magis. Verùm & iſti medebimur. Remedium ab Vrbibus petitum, quæ ſummisêre Teſtimonia. Minùs ſiquidem rectè Ariſtophanes, *Deeſſe remedium contra Calumniæ morſum.* Eſt huic à Veritate medicina. At verò meminêre Caluiniſtæ Mydium, caput Alexandri aſſentatorum. *Audacter*, inquit is, *mordete. tametſi morſi conſaneſcant, Calumniæ cicatrix manet.* Ea ſpe fabulam hanc variis linguis diffudêre. Peruolauit illa ſubitò varias terras.

ras. Nihil ſiquidem Vanitate velocius. quid enim ea leuiùs? Sed, volet quantum volet: quò longiùs, citiùs feſſa concidet, nullo pręſertim fulta neruo Veritatis. Quò maior diluxerit Inuidiæ flamma; eò minùs fumi nobis adflauerit, ſeque ipſa depaſcens cadet. Nec eſt, cur in ea opprimēda ſudemus. Bacchantem ignem ac ſubitū pòſt paullò fauillæ ſuæ ſepeliunt. Interea Caluiniſtæ dum hāc flammam alere non poſſunt, fumum ſaltem colligunt, eúmque vendunt. Felices omnino capnopolæ, qui non viuāt Alexandro imperante. Qui tum fumos venderent, ſuſpenſos necabat fumo; clamāte præcone, *Fumo* Lamprid.

 pu-

punitur qui vendidit fumum. Appositum omnino supplicij genus. Miseri tamen, qui sic mendaciis lacessunt Veritatem; &, vt in fabulis Amphiaraus, prudentes scientesque ἀμφοῖν ποδοῖν in Pestem eunt. Sed quos neque Cœlum neque Inferi excitent, nequidquam hortêre. Erit tamen cùm plorent, & SICAM hanc insolentem ac TRAGICAM cudisse doleant. Dum ea recens esset ab incude, nostrę Famę iugulum petitura; fuit Vir eruditus, qui *Examine* succincto & eleganti, eoque deinde trilingui, dum aliud prodiret vberius, discuteret hanc cędem. Successit deinde pręsens *Apologia*. Auctorem ea habuit

Fran-

Franciſcum Coſterum, è Socie-
tate noſtra Doctorem Theolo-
gum, qui pro Catholica ac Ro-
mana fide multos iam annos
ritu maiorum gloriosè cum hac
hæreſeon Peſte depugnat. Sub-
iecit operi grauiſſima Vrbium
Teſtimonia. Mirum quanta
ſubitò auiditate paſſim legere-
tur. ſed cùm Belgicum ſermo-
nem ſoli Belgæ caperent, litte-
riſq; interea ex Italia, Hiſpania,
Gallia, Germania, Anglia, ac
aliunde à ſummis Viris hac de
cæde rogaremur: viſum eſt è re
communi, ſi quam dico *Apolo-
gia*, ſubiunctis publicis Vrbium
Documentis, Latinè, id eſt, lin-
gua omnium gentium, loque-
retur; & ingreſſa profundum

*4 hoc

hoc Mendacij cubile, lucerna Veritatis præeunte, tamdem aliquando Caluinistarum omne in nos omnésq. Catholicos odium rabiémque detegeret. Hæc enim Secta præ ceteris ferina rabie sæuit; vt si spectes Lutheranos, agnos dicas, præ lupis vespertinis. Ceterùm hanc SICAM TRAGICAM ex mente Auctoris Latinè do, priore eáq. Belgica auctiorem, re ita flagitante. Cognoscet Lector; ac qui demum illi sint, qui nobis in Gallia, Anglia, ceterísq. in locis, Principum cędes temere impiéve imponunt. Nam nouas eorum ac καθημερινὰς de nobis aliísque nonnullis sacris Ordinibus fabulas cur attingam?

gam? Ipſæ ſe perimunt. Quod Religioſorũ omnium eſt, dum ſumus Catholicis inſtar Scuti: quid mirum, ſi qua in nobis hæreant Inuidiæ tela? Erit tamen qui ὀρθᾷ χερί decutiat, diſcutiátque litem hanc. Interea Ieſuitis ferẽda Crux, vt omnibus Chriſtianis: qui vt ſumus ὁμονόμαστοι Χριστῷ, ſimus quoque συσταυρούμενοι Χριστῷ neceſſe. Vanè proinde in Ieſuitas fremunt Caluiniſtæ, quibus & crimen Adæ, ſi liceret, imponerent. Putes hos Athenis votum concepiſſe, in templo Exſecrationis. adeò vidẽtur nos aſſiduè figere velle, & reuellere maledictis, noſtrámq. Societatem funditus de terra delere. Sed hæ nimirum ἐλπίδες

κενοι. *Fidelis Deus per quem vocati sumus in* SOCIETATEM *filij eius* IESV. Quare cùm Dominus IESVS Crucem scapulis ferens B. Patri nostro IGNATIO Romam adeunti visendum olim se obtulerit, addixeritque adfuturum: non immeritò tantis promissis erecti confidimus eumdem nullo vmquam tempore Societati nostræ defuturum. Vale Lector erudite, & quà Hæresis venenum suum, hàc tu Veritatis hoc antipharmacon Ecclesię bono diffunde.

ANTVERPIAE, E Collegio Societatis IESV, XV. Martij, cIↃ. IↃ. XCIX.

AD ORNATISS.

HOLLANDIAE CONCILIVM.

RESPONSO *huic meo, Viri Clariss. si rectè humanitatem vestram atque prudentiam noui, liberas aures auráſque impertiemini: ne, ſi & hoc tolli iuſſeritis, cenſeatur vobis affectus imperaſſe. Nota cuique veſtrûm illuſtris illa veterum tribunalibus inciſa ſententia*, Audi alteram partem. *Eius immemores moniti Leydenſes, inuiſos inauditóſque, ceu cruentæ immaniſque Sectæ homines, in ſuo nos Petro Panne temere condemnarunt; vt deinde formula huius Iudicij, ſermonibus typiſque per Belgium omne diſſeminata, falſa & impia inuſta ſuſpicione, non neminem à nobis reddere potuerit alienio-*

rem.

rem. Hi velim vestro fauore me legant; vt vtrísque auditis, de re certiùs statui possit. Neque cuiquam sanè dubium est, hostes de hoste solitos grauissimè loqui, dictáque inimicorum maledicta esse: vt illud quoque minimè occultum est, Caluinistas hostes sacrorum Religionúmque, nullum sibi præ Iesuitis hostem fingere capitaliorem, eorúmque Nomen inimicissimis telis impetere. Nihil proinde mirandum, genus hoc animantium extra Arcam & de putredine natum, tumidum, lubricum ac maculosum, omne contra nos virus euomere, illúdque altè deonerando in nos traijcere; ac quorum caput oppugnet, eorum auribus neutiquam pepercisse. Verùm enimuero, non quiuis ita acutus & perspicax, vt hunc fellis & odij fontem in Hæreticorum visceribus profundè latitantem mentis acie penetret. Hinc nimirum multi, quibus nos audiunt carpi calumnijs, reperiuntur

vanè

vanè creduli, potissimùm si Magistratus publicíque Judicij accedat auctoritas. Infamatores hi hanc in innoxios Inuidiæ flammam ventilantes, animas suas damnant infamiæ crimine, Deóque tenentur obligatione deuincti, vt, quod nobis per summam fraudem atque malitiam ereptum venêre, restituant Nomen. quæ quidem ex parte laxabitur obligatio hoc Apologemate, ac Defensione Veritatis, qua velatas eorum imposturas nudè detegam, & in omnium oculis mentibúsque defigam in lumine Solis huius: vt hoc venenatum Calumniæ telum, priusquam vllius animum falsa opinione, vel nostrum Nomen grauiore iniuria vulneret, depellere; aut si forsan inhæserit, possimus euellere. Optem vos, Viri Clarissimi, non adeò benignos esse mendacio, nec adhiberi vim Veritati. Quid agat minima hæc IESV *Societas, quæso, toto terrarum orbe intuemini, ac tot populorum, quos inter*

degimus,

degimus, colligite de nobis iudicia, & cum hac calumnia componite. Hos certè mirum est, quibúscum viuimus, amore nos & honore prosequi: Hollandósque nec visos auditósve meliùs nosse velle, vel posse. Quidam in Saxonia Lutherani plebeculæ persuadere conati, Pontificem Summum Hippocentaurum esse, siue Tragelaphum, vel aliud dirum quoddam & exsecrabile piaculum ac μορμολυκεῖον, cui Diuini honores Romæ ab hominibus habeantur. Verùm qui Romam visunt, esse hominem vident; nec à ceteris humilitate naturæ, sed eminentissimi Officij ac Maiestatis dignitate dissidere. Id agunt Caluinistæ, Iesuitas nescio quæ monstra, quæ portenta commenti. sed eos hîc qui conspexêre, rident imposturam, & commentum sine mente. Propiùs probiúsque nos aliquando, vt confido vaticinórque, cognoscetis, & amore complectemini, nobis ex voluntate publicè priuatímque vsuri.

vsuri. Siquidem hoc voti nostri caput, vt Hæreseos errore liberati, in orbitam Veritatis, Ecclesiâ suorum liberorum exhilarata reditu, ac Conuersioni applaudente, studio nostro conatúq. reuocemini. Valete. Bruxellis, IV. *Kalend. August.* cIↃ. IↃ. XCVIII.

Franciscus Costerus.

D. GREG. NAZIANZ.

EDENTE DAVIDE

HOESCHELIO.

Η῾ δ᾽ οὐκ ἀληθὴς, γίνεται ΣΥΚΟΦΑΝΤΙΑ·
Η῾ λάθριος δὲ, ΔΙΑΒΟΛΗ σοι κλητέα·
Μέμψις ἀνεύθυνός τις, ἡ ΒΛΑΣΦΗΜΙΑ·
ΚΑΚΗΓΟΡΟΣ δ᾽, ὃς πᾶσιν ὁπλίζει στόμα.

Doctiss. Iac. Billivs
ita Latinè.

Conficta si sint crimina, est Sycophantia;
Id si latenter, tum vocem Calvmniam;
Impune cùm quis carpit, est Blasphemia;
Maledicvs *autem est, ore qui cunctos petit.*

SICAE TRAGICAE Comiti Mauritio A IESVITIS, vt aiunt Caluiniſtæ, Leydæ intentatæ,

CAPVT PRIMVM.

Sententiæ argumentum.

VERTENTIS ſeculi huius anno CIↃ. IↃ. XCVIII. aduerſus Petrum quemdam Panne, Ipris Flandrorũ victorem, lata eſt Leydæ, impleta, cuſa typis recuſáque ſententia, quæ quid reus extra quæſtionem, exſolutúſq. vinculis confeſſus eſſet, contineret. Ita porrò ducta res eſt. Ferunt Petrum hunc complures iam annos,

Collegio Societatis IESV in Academia Duacensi de annona butyri, qua opus foret, prouidisse; euenisséq. vt minister Iesuitarum Melchior quidam cognomento VValle, quícum ei affinitas & necessitudo, quatuordecim diebus Ceneralia antegressis Ipras adiret, à Petro postulaturus solitam ei Collegio annonæ parandæ diligentiā. Petrum, cùm is domo abesset, Melchior biduum triduúmve opperiebatur, clàm interim sermunculorū occultorum cum Maria Bouvvets Petri coniuge impensè Iesuitis addicta telam ordiens, de Comite Mauritio confodiēdo. Petro domum redeunti consilium Melchior obijcit facinoris adeundi, ducta occasione æris alieni, quod profusione rerum grande conflauerat, & quo non minimopere grauabatur; asserens quæstum sibi instituere posse sine impendio, seque in id viam nosse, vt fiat repentè affluens & beatus, modò consiliis benignè obsequens, in Hollandiam proficisci, facinúsque conficere animum inducat. Petrus rem grauem ponderans subsisténsque, est incitatus à coniuge, minimè laborandum affirmāte in cæde nefarij tot animarum interemtoris, aientéque; Fac sanè, qui tu es, esse me, ac sicam vibraturam facinúsque illico confecturam crede. Iacienda alea. Petrus durior cùm parum mollesceret, Melchiórque interim ageret omnia, sed eo obfirmato ageret nihil; postulat Duacum veniat, atque ea de re cum Patribus (nominabat Iesuitarum Superiorem) agat. Melchiore

Dua-

Duacum reuerſo ipſis Cineralibus proximè lapſis, Petrus Iprenſi vrbe diſcedens, Inſulas, Tornacum, Montes Hannoniæ abit, vbi bis æris alieni cauſſa comprehenſus, laxatúſque. Demum tranſitis Valencenis Duacum peruenit, vt ſuas ibidem cum Ieſuitis (ita nos vocant) rationes componeret, vbi hæſit diebus vt vocant Rogationum, ter quaterve à Prouinciale, Præfecto ac Rectore in Ieſuitarum Collegio menſæ admotus; ſummamque duarum ſupra L. librarum Flandricarum, depoſito æquatoque calculo, reliquam cuidam cannabis negociatori Nicolao Lalaing tranſſcribit Petrus interea cum dicto Prouinciale, Præfecto ac Rectore colloquens, denuo ad necandum Mauritium impellitur. Diem nullum cædi præficiunt, at ſuadent tamquam doliarius in Hollandiam eat; ibidem menſes aliquot Delphis, Leydæ, vel in Haga Comitis in diurnos quæſtus hoc opere conterens, viam ſubinde indaget conficiendę cædi, ſeu ſica ſeu breuiore ſclopo, quem emtum in caligas abdat. Et ſi ratio facinoris maturandi in præſens minùs ſuppetat; pateretur interfluere tantum moræ, dum Comitem hominem minimè tolerandum, à fortuna oblatum, ſeu domi ſeu foris, in Aula ſiue via publica, ſiue vbiubi tandem, vtq. maximè vellet, opportunè è vita tolleret. Atque vt animum Petri reſtitãtem dictis infringeret longiúſque impelleret Prouincialis; dimidiam pæne habuit concionem, longè latéque declarans, quàm Diuinum ingentiſq.

meriti esset sacrificium, hominem istiusmodi, tot millium animarum infectorem, immo interfectorem, auferre è viuis; cælum omnino fore huic tam laudando facinori præmium; piáque cæde perfunctus, quà daretur, consilium fugæ quæreret. Et quia incertum quò casûra res esset, & quæ conditio vitæ necisve futura sit; si fuga intercepta, tam gloriosi operis patratori pereundum sit, ad perennem vitam subitò certóque migraturum, & aureis (vt aiunt) pennis, animâ vnà cum corpore ad astra sublatum iri. Talibus aliisque à Prouinciale speciosè dictis aspersa comtáque persuasio, vt tandem horum Iesuitarum flexanima oratione, suauiloquentia, & assentatoriis quibus pollebant linguis, Petrus fidem animámque in quæstum contulerit, seque eò adduci passus sit. Solet enim rigidus cõstánsque animus permulcendo mollescere. Eodem accedebat ex ære contracto nata desperatio, & augendi peculij auiditas. Ingens quippe stimulus, angor egestatis, cupiditatísque spes. Porrò à Prouinciale, Præfecto & Rectore addicti primùm scutati CCCC. è quibus X. quotannis ab Iprensis ærarij Quæstore numerandi, iique de centum libris Flandricis, quas, quòd Iuuentutem Latinis litteris imbuant, ab vrbe colligunt. Deinde, Iprensem tabellariatum C. librarum annuarum ei oblatum iri: qui tametsi à Iesuitis conferri non soleat, Petrus tamen nihil ambigebat, quin vel leui eorum commendatiunculæ nemo auderet refraga-

fragari. Demum Ioannem Panne, eius filium, ſacri Collegij Tornacenſis ditandum Sacerdotio. Qua pollicitationum dulcedine delinitus, animóque lucri cupidine occupato, aſper eſſe deſiit, facinúſque ſuſcepit; & altera luce Prouinciali Miſſæ ſacrificium obeunti confeſſus abſolutúſque percepit Euchariſtiam, ac ſub ea confeſſione paratior experrectiórque viſus, iterum promittit ſtudiosè imperata tentaturum, non tam facinoris famam quærens, quàm mentis reique domeſticæ inopia, copiaque orationis adhibitæ ad id hortante. Hæc talia plerumque ſuadent pericula vitamque vilia habere. Denique ne infirmè animatus eſſet; in hæc pæne verba Prouincialis: Pacificè abi. is vt Angelus Deo deducente. Petrus leuando itineri conſignationem XII. librarum Flandricarum ſumſit à Ieſuitis, quas Antuerpiæ Franciſcus Thibault vicinus Cœnobio Prædicatorum circa clauorum forum eſſet numeraturus. Ita tandem ad Fleynenſem Abbatiam Duaco profectus eſt, ac poſtremò Antuerpiam, vbi de XII. libris numeratis, XI. cum pallio ac ſubligaculo, operâ cuiuſdam Theodori Bul propè Zelandicum frumentarium forum ſummiſit coniugi, vt auro ab inedia vitam, veſte liberorum corpora ab hieme tueretur. Adiecit litteras, aiens ſe in Hollãdiam ad deſtinata proficiſci quæ noſſet; Deum pro ſe precari ne deſineret. Poſteaquam Petrus per Zelandos Hollandiam attigit, X. Kal. Iunij, Leydam ingreſſus, in hoc

velut cursu sceleris sese reuocans ac pæne refugiens, contrahit vela, inhibétque remos, subitóque refrigeratus & exalbescens metu, atque extrema fortuna stans, constrictus conscientia constitit, obstupefactus tetri immanitate facinoris, Patriæque ac suo capiti timens, manum à telo continuit. Postremò in carcerem contrusus vniuersa confessus est, etiam quæstionis ablato metu ac vinculórum, decem pluriúmve dierum spacio interfluente, perpetuò contestans vera omnino fassum esse, in hoc viuere & mori velle; vicibus singulis ingentem commiserationem concitans, genibus manibúsque supplicibus, ac lacrymantibus oculis luctus incendens, ac tristissimas aptásque ad veniam impetrandam edens voces, quò se illi clementibus oculis (quandoquidem innocenter hoc deuenisset) aspicerent, & legum pœnas fletu redimeret. vtilem Patriæ velle esse & posse, si vita indulgeatur; breuíque comprehensos aliquot Iesuitas adducturum. Verùm immanitate adeò exsecrandi sceleris seueritatem flagitante, noluit Iudex esse lenitati locum, ne contagio illa tamquam pestilentia inuaderet, ac deinceps patiatur se nemo seduci à sanguinaria & interfectrice Secta Iesuitarum, qui (vt terrarum orbi vniuerso constat) sicas vibrare, ac spargere venena didicerunt, & millecuplas malas artes inceptáque proditoria nôrunt, nituntúrque exsequi, vt Reges, Principes ac Dynastas, & vel maximè eos, qui Pontificias superstiti-

perſtitiones (ita loquuntur) nec probare nec ſuſcipere poſſunt, iugulent, mactent, perdant. Itáque infelix Petrus capite plexus & in partes quatuor ſectus eſt. Hæ ad totidem vrbis portas, illud vallo defixum.

Hæc complexio latæ ſententiæ, quæ duorum Clarorum Virorum vrbis huiuſce Bruxellenſis, quos vnà falsò Petrus accusârat, ſupprimit mentionem. His omiſſis, ſoli Ieſuitæ, quod equidem parui refert, luunt. Reticentur præterea non nullæ res ſcitu ſanè neceſſariæ, ſed inutiles Caluiniſtis; cuiuſmodi ſunt, vinculorum Petri occaſio, an ipſe hortatu Prouincialis ſicam ſclopúmve emerit, an parauerit rem exſequi, an flagrante crimine deprehenſus ſit? Colligitur ex hac ſentẽtiæ formula numquam attentaſſe, ſolùm mente id agitaſſe. Quo quæſitore ad hæc indicia peruenerunt? Quis opinator prodidit cogitationes has? Adeóne deſipiebat, vt eas ipſe efferret? &, ſi fuêre tantùm cogitata, nullo effectu, accedente vino animi dolore (vt ex ſententia liquet) cur ſupremo cruciatu perijt? Peccata ſolùm meditata non debent morte adeò ſeuerè caſtigari, quàm ſi illa opus externum confeciſſent, facti pœnitentia potiſſimùm ac voluntaria confeſſione omnem quæſtionem veritatíſque extorſionem præeunte. Faciunt hæc taliáque, vt prudentes viri de magna fraude ac falſitate ſententiæ meritò neſcio quid ſuſpicioſius cogitent.

CAPVT SECVNDVM.

Occasio latæ sententiæ.

QVISQVIS ſententiam hanc legit, ac veram credit; næ illi Ieſuitas infamandi, ac velut Principicidas perſequendi, fugiendi fugandique magna ratio. Equidem dum menſe Iulio hæc nefanda, fando accepiſſem, fama ſenſim in vulgus emanante; Auditores pro concione (quam ipſo Viſitationis B. Virginis ad D. Ioannis obibam) rogatos volui, vt à Sereniſſ. Archiduce Alberto, tum Belgij Gubernatore, huius tam pudendi facinoris abſtruſæq. nequitię quæſtionem poſtularent, ſuaque falſitati integumenta detraherent. Et, ſi quidem veritas vlla ſententiæ ſubeſſet; me reliquoſque Ieſuitas tamquam ea contumelia dignos è Patria depellerent in extremas terras. Ac cuicumque cum Hollandis vſus familiaritáſve eſſet, hæc dicta me impulſore perſcriberet. Vixi iam in Societate annos VI. & XXXX. neque vmquam eiuſmodi quidpiam de vllo noſtri Inſtituti homine accepi, multò minimè de Oliuerio Manareo, Societatis per Belgicam Prouinciale, viro tanto, mihi ab annis quadraginta quinque Romæ aliiſq. locis familiariter noto. Id inſtanter itero, ac Principes omnes viros, primoréſque Belgij Magiſtra-

Magiſtratus precor, vt rem ſumma animaduerſione ac diligentia contentur, dum emergat impoſiti criminis onere depreſſa ac demerſa veritas. & ſi nos huic obnoxios culpæ repererint; nihil cauſſæ eſt, quin è proſcriptorum numero ſimus, ac mutemus terras. At cùm ſimus à culpa puri (vt modò planum erit) quid obſecro noſtros in Hollandia Caluiniſtas perpulit, vt, non mendaciunculum, ſed maximas fraudes ementiti, mendacia tam pudēda & (vt ſic dicam) craſſa & pinguia confingant? quódve illis pretium mentiri, vt ita veritatem opprimant? Duplex occurrit ratio.

Primùm, eorum nuda, inops ac pudenda inſcitia (quid enim nôrint, qui Eccleſiam ignorant?) quam ſtudent amplis mendaciis, quaſi ficulneis foliis tegere. Scitur ante decennium octo à me Antuerpiæ editas Propoſitiones, quæ Miniſtros & Prædicantes, cùm deglutire non poſſent, ſtrangularunt. Etenim dum eſſent in publica irriſione & moleſtiis, omnéſq. illis digitum tollerent, pedémque ſupploderent, quòd ex ipſis nemo auderet vel poſſet reſpondere; ſumſit quidam canina facundia diſertus octo ſcribere Oppoſitiones ſeu Antitheſes, conuiciis & maledictis, ceu hæretico ſale (nam ſal à mimis trahũt) aſperſas: quas cùm libro meo cui titulus, *Declaratio antiquæ Catholicæ doctrinæ*, fusè refutaſſem; erepſit è latebris quidam Gaſpar Greuinchouius, textor caligarum (felix æuum, cùm dent etiam ſutrinæ ac textrinæ Theologos) qui

easdem scripto impugnaret; id vnum consecutus, ne deinceps obscurè indoctus esset, fueritque occasio, vt de eisdem latiùs nouâ pro Catholica ac Romana fide Apologiâ differerem, obstinatámque Caluinistarum quam moliuntur tegere ignorantiam affusa luce detegerem. Quæ quidem Apologia cùm consiliis eorum vehementer officeret, ita Caligarij Superiores concussit, iisque aures deiecit; vt infirmo antagonistæ è manibus stylum excuti vellent, ac cuidam Francisco Iunio, quem aiunt in Hollandia nulli Caluiniano secundum, imperarent ad Apologiam respondere. Quasi verò Hæresis Romanam fidem aureis tectam armis, planéque inuulnerabilem, plumbeis suis pugiunculis possit vmquam confodere. Infelices Hæretici non meminêre suorum proauorum, è quorum oriuntur putredine. *Manè sicut herba florent & transeunt; vespere decidunt, indurant & arescunt.* Quærantur reliquiæ veterrimorum teterrimorúmque Hæresiarcharum Arij, Donati, Eutychetis, ceterorum. nec vnguem, nec capillum quidem vnum transmiserunt ad posteros. miseros iam suæ tenebræ tegunt. facti vt stercus terræ, toti in secessum abiere. atque vtinam non in ignem inextinguibilem; fuissent enim quasi non essent. Indidem noui in dies vermes isti prorepunt. Ita profectò qui modò in Hæresi florent, vt olera herbarum citò decident; mirórque quorum vitam imitantur, exitũ quoque non perhorrescere.

Psal. 89. v. 6.

Ceterùm

Ceterùm hoc Iunij ſcriptum videre diſcupio, vt is me doceat, per quos occultè tramites Caluiniſmus ab Apoſtolis, non interrupta perpetuitate, in Hollandiam deuenerit, item in quas primùm terras, quo auctore, quo tempore, quóve ab orbe condito ſeculo, magna Idololatria, quam in Eccleſia Catholica tantopere oderunt & exſecrantur, inducta ſit; cuiuſmodi ſunt, venerari imagines, inuocare Sanctos, obire Miſſæ ſacrificium, adorare ſacroſanctam Euchariſtiam, Deo preces offerre & ſacrificia ad leuandam neceſſitatem defunctorum, & plura id genus. Antiquæ ſiquidem omnes teſtantur Hiſtoriæ, toto huius temporis interiectu, progrediendo ad Apoſtolos, has res per orbem vniuerſum viguiſſe. Apologia hæc mea cùm in Hollandia prohibita eſſet, vnâque omnes libri à me ſcripti, vel à Ioachimo Trognæſio Antuerpienſi Typographo, Eccleſiam arte induſtriâque pro virili defendente, typis editi: dedi litteras ad Ordines Prouinciarum fœderatarum, efficacibus rationibus rogans, operam darent, ne in præiudicium promiſſæ libertatis conſcientiæ, Edictum eiuſmodi tot animabus fraudi eſſet, quæ vniformem, antiquam & Catholicam Veritatem diſcere & ſequi poſſent. Ac quandoquidem Ieſuitæ ſunt Caluiniſtis magnopere exoſi, omniâque eorum non vna iacta manu tela excipiant neceſſe eſt; deſcripſi illorum vitam, declarauíque innocentiam, qui in ſuis familiis neque homi-

homines vino Venerive obnoxios, neu aliis similibus vitiis contaminatos tolerāt;sed quisquis ad hæc se proijcit, nostra Societas è suo commilitio abijcit: vt ipsa videlicet sit & maneat piorum hominum ac doctorum Congregatio, qui vitæ exemplo & doctrina populum erudiant, errantes viæ reddant, & à vitiis reflectant, miseros calamitosósque solentur, Ethnicos ad Christi religionem traducant, Hæreticos fide orthodoxa Matri Ecclesiæ benignè concilient, aliáque eius generis quamplurima. Qui hæc non credit, postulet vrbium testimonia ac Prouinciarum, vbi sunt fundata Societati Collegia. Sumus in Belgio plures CCCCL. Degimus in septemdecim vrbibus, Louanij, Antuerpiæ, Bruxellis, Gandaui, Brugis, Ipris, Cortraci, Lucemburgi, Traiecti, Leodij, Duaci, Audomaropoli, Cameraci, Tornaci, Insulis, Valencenis, Montibus Hanoniæ. Eò diuertat ex Hollandia quispiam, & in vitam nostram moresque inquirat: certus sum omnes Magistratus Ecclesiasticos ac Ciuiles, qui vitam nostram vsu tractandóque cognôrint, perhonorificum Iesuitis testimonium daturos esse. Cùm Hollandici Ministri & Hæretici neque ad libellos meos possint respondere, neque vitæ nostræ aliquod verum crimen imponere, ne scilicet omnino conticescant, & fractis hastis quas imprudenter illidunt in arma Veritatis, etiam ipsi videantur fracti, sed potiùs in certamine victores: ad antiquos folles fornacémque versi,

conflant facinus horrificum, exſecrabile ac parricidale, vt nitenti Ieſuitarum famæ fumum ſaltem fuliginémque poſſint offundere, & in inconcinnam plebeculam fœtorem ſpargant. Strepunt pertumultuosè, vt Nilus in catadoupis, eduntque inſtar ſurdi caſsive tonitrus, ingens quoddam bohâ; &, vt verbo dicam, tormentum plenum fœtenti puluere, vel Arabico baurach ſine glande diſplodunt. Videntur reſeraſſe puteum Apocalypſis, & os Abyſſi, vnde vapor & fumus caliginem ſimpliciorum oculis offundens. Sed, vt conſtat, canes timidi vehementiùs latrant quàm mordeant. In hoc ſanè detegitur impietas, qui cùm Veritati reſpondere nequeant, errores tamen ſuos deſerere nolint, ſed ignorantiam oblatis criminibus tegunt. Imitantur indoctos quoſdam nec dignos tanto nomine Aduocatos, qui non vt ceteri, eloquenti veritate, ſed futili loquentia & immodicis clamoribus vbi perſonuerint, victores videri volunt, dum ratione vincere non poſſunt, vtpote quibus plus vocis quàm mentis ſit elargita natura.

Alia præterea ratio, quæ noſtros Hæreticos concutit mouetque, cur falſam hanc calumniam ſtruant, eſt metus bonæ ac firmæ Pacis. Verentur forſan homines hi diſcordioſi, ne qui bello aluntur, in Pace eſuriant. At enim ignorant omne bellum promptè ſumi, ceterùm ægerrimè deſinere. Non in eiuſdē manu initium eius & finem eſſe. ordiri cuiuis etiam
imbelli

imbelli licere, non deponi, nisi cùm victores velint. Nôrant indefessa & incredibili sollicitudine & interuentu S. D. N. Clementis VIII. duos Christiani Orbis potentissimos Monarchas Catholicum Regem Hispaniarum & Christianissimum Regem Galliæ Diuina gratia coniunctos esse. Audiunt Angliæ Reginam cum eodem nostro Catholico Rege non nolle de Pace agitare. Sentiunt Hollandos, Zelandos reliquósque diuturni belli pertæsos, Pacémque cum naturali suo Principe ac Domino malle, quàm vltrà rebellionem facere, & iugo ferreo atque Hæreticorum Ministrorum dominatu ac tyrannide, qui imperium sibi vi & armis constabiliunt, mancipiorum instar opprimi diutius, velléque vesaniæ & luctui modum poni, quò felicium temporum spe reuirescente, quisque sub vite ac ficulnea sua possit (vt quondam) in Ecclesia *Latè viuere & securè mori*. Siquidem supersunt qui Pacis dulcedinem experti sunt, & vt aues diu cauea inclusæ, assiduè de libertate cogitant; ibique multorum animi non minùs oppressi mœstitudine, quàm tyrannide subacti; multáq. audit Deus in abdito profundè ducta suspiria, quæ tantò vrunt grauiùs, quòd non liceat illa palàm per os oculósve effundere &

Seneca. apertè queri. *Nulla siquidem flendi maior est caussa; quàm flere non posse*. Coguntur præter omnem rationem, antiquam fidem permutare cum Caluinistico somnio: quibus cùm illi chamo & fræno maxillas constrinxerint; omnem

contra-

contradicendi eripiunt facultatem, contrariásve rationes adducendi: ad quas nihil est quod Ministri Caluinistæ respondeant, quàm Papisticam esse Superstitionem & Iesuiticam doctrinam. quæ responsio nulli vmquam prudenti satisfacit, potissimùm dum vident inter Ministros libidini, stupro, ganeæ natos, quibus corpus est voluptati, anima oneri, viui æquo licentiosiùs; eámque quam Patriæ intulerunt, populatis vexatísque Prouinciis, incredibilem vastitatem; vbi omnia licent, præterquam esse Catholico. Id perpendentes Hæretici Ministri, maximè Leydensis Academiæ, id est, Lugduni Batauorum, quæ est Geneua Hollandica, & supremum (vt sic dicam) & centumuirale Consistorium, cudêre forficem scindendæ Paci, néve ea vmquam arctè consui possit (quod non parum metuebant) studiosè prouiderunt. Ac vel maximè consilium fuit itineris in Galliam Iesuitis incidendi, quos magnopere oderunt & metuunt; ita vt vltra Naturæ fines, eúmque qui orbem cingit horizontem pulsos velint, & ab cunctis mortalibus molestiam pati. Hinc scribunt Papistas esse malitiosos ac fraudulentos, Reges Principésque circumscribere, in fronte lætos & aspectu formosos, à tergo deformes & horribiles. Et vt non semper idem introrsus & extrorsus Principum vultus: eâdem ex officina nequitiæ illa variis figuris expressa in Sereniss. Cardinalem, Inclytum Patriæ Principem, scómata, qui parte

aduersa

aduerſa vultum ſuauem ac blandum & verè ſerenum cum oleæ ramuſculo præbet, fronte ac ſupercilio & aliena mente animum contegens: ſed parte auerſa, toruum intuetur, enſe ex humeris pendente, vibranſque caudam ſcorpionis; quaſi nimirum ſcriberet in animo, quæ ſuo tempore promeret. Ieſuitas oratione depingunt Mauris & Aethiopibus nigriores, immo vt nec qui cecidit de cœlo Lucifer vllúſve Cacodæmon videatur tetriùs pingi fingíve poſſe. Nuncupant nos Sectam crudelem, atrocem, iugulatricem, & cruoribibam, vultures animarum, perduelles, inſidioſos, tragicorum facinorum adgreſſores, vt nos odio populari obijciant, perſuadeantque cuilibet, Pacem nullam fore, quin primùm Ieſuitæ, omni cum hominibus vitæ vinculo diremti, abitu ſuo Patriam liberent metu. Nam (quod Hæreticus quidam diebus hiſce Antuerpiæ inter epulas & vina debacchans iactabat) ſatius foret Hiſpanos omnes, quàm duodecim Ieſuitas in Patria retineri. Inde pro Hæreticorũ more ingenióque, confictio multorum capitalium iudiciorum, non in Ieſuitas modò, ſed Principes etiam viros eximiéque Catholicos. Anni duo ſunt, nec multo amplius, cùm ſimiles libellos famoſos ac fabuloſos edi permisêre, de quodam Sacerdote patria Namurcenſi Bredæ in vinculis habito, quem Comes Barlemontius, vt aiebant, iuſſiſſet cum telo eſſe, ac tanquam Comitis Mauritij percuſſorẽ nefariè immiſiſſet.

Numquam

Numquam ea Comiti mens, qui vir est, non vt proditionis fraudisve vmbraculo cædem celet, alienum id suo nomini ducens; sed aperto campo lacessat hostem. Verùm reticuit libellus Ottonem Hartium Doctorem tum in Hollandia cum Patriæ Ordinibus de Pace mouentem, rogatu Comitis Barlemōtij ad indagationem veri certiorem postulasse, permitterent captiuo Sacerdoti alteriquè vnà colloqui, potestatémque experiundi; &, vt dicitur, fas esset committi testimonia: idque, vel Sacerdotem ad eum securè destinando; vel contrà, Comiti ipsi oblata fide publica captiuum Bredæ alloquendi, vel deniquè vt illi met mallēt. & ita quidem tum calumniam eam obtriuit ac contudit. At enim homines Iustitiæ Reformatæ (clamoribus incitati Reformatorum Prædicantium) nihil quàm Pacem impediendum rati, credebāt violari Reformatum Euangeliū, si vni Papæ (sic vocant Sacerdotes) & Papistæ (id est Catholico) hunc honorem tribuerent, ac nasceretur occasio Pacis promouendæ. itaque Sacerdote clàm strangulato, nugacem suum libellum mendacijs consutum putidúmq. extrusêre.

Quod ad Iesuitas, rumpuntur hæretici odio tumidi, ignari quid demum his hominibus affingāt. Alia à biennio fabula Amsterodamo emissa de duobus stipendiarijs percussoribus Antuerpiensibus Iesuitis, Hieronymo Tauernier Parisiensi, & Antonio Ros è D. Dionysij, quibus grandi pecunia, decem scilicet mil-

lium nummûm aureorum, in iter oblata, anno CIↃ. IↃ. XCVI. Pontifex Romanus commendasset Anglicanę Reginæ trucidationem. quæ fabula ex eodem hausta fonte est, tantumdem è fundo limi trahens. Hæreticis siquidem non in fundo, sed in superficie Veritas. Nam numquam eo nomine Iesuitæ vlli in Belgio exstitêre, numquã dedit eiusmodi litteras Sanctiss. D. N. ad Patres Antuerpiẽses, & Pontificiæ litteræ grauis insciitiæ arguunt libelli fictoré, qui huius generis scripta numquam viderit. Similiter dum Caluinistæ in Gallia commenti essent Iesuitam quemdam conscium cædis in exitium Regis Christianissimi attentatæ, sub idem tempus aliam in Anglia fabulam confinxerũt, vt meritò credas nugatores ac fabulatores hos florentibus fabis
2.Tim.4. n.4. viuere, esséque illos *prurientes auribus, qui à Veritate quidem auditum auertunt, ad Fabulas autem conuertuntur*. Aiebant hi, Guilielmum Holtum, Societatis nostræ Bruxellis Sacerdoté, subornasse Hybernum, qui Reginæ vitam auferret, eique in hoc Eucharistiæ sacramentum præbuisse. Nondum quieuerunt. Numquam enim in vno gradu sistit Impietas. Huic præsenti de Petro Panne commento, vno eodémq. tempore etiam hoc adstruxerũt, de Iesuita nescio quo, qui in Hauer de Grace in Gallia vinculis teneretur, & quasi eiusdem in Reginam Anglicanã proditionis reus, Maiestatis arcesseretur, duodecim parricidalibus sicis instructus. Ita fumum hunc vaporémque mendacij, ceu

Cacus

Cacus olim in ſpelunca detectus, densè glomerant, vt imis ſummíſque, ſed his maximè, oculos obnubilent, eáſque animo ſuſpiciones inijciant, quæ pòſt nullis purgationum medicaminibus eijci poſſint. Attamen viri cordati, ira, odio & hæretica paſſione vacui (namque haud facilè animus verum peruidet, vbi illa officiunt) quique nôrunt Ieſuitas; ferrum hoc incenſæ inuidiæ, vt quōdam, adſperſa lymphâ refrigerant, nec cauteriatam, vt Diuinus ille vir ait, habent conſciētiam, gnari huiuſmodi impoſturarum, & Hæreticos eſſe Cretes & Pœnos; immo hos qui apud Iſaiam, *Poſuimus Mendacium ſpem noſtram, & Mendacio protecti ſumus.* *Iſaiæ 28. n. 15.* Commenta hæc impune liberéque machinemini. detegemini. Qui ſpem ac præſidium in mendacio ponunt, eóque nituntur aſſurgere; eo ſubtracto, ipſos quoque ruere neceſſe eſt. Neque verò nouum Hæreticis mentiri. Hæc ars & lautiſſima à patre ad vos peruenit hæreditas. Tandem tamen Deus vniuerſa hæc in lucem trahet. Prædixit Sapiens, *Qui Mendacia loquitur, non effugiet*. Porrò cur amabo fabellam hanc Duacenſi Collegio potiùs, quàm alteri vlli, Iprenſi, Antuerpienſi, Bruxellenſi, &c. Hæretici adfinxêre? Studioſorum numero feruntur offenſi, qui magno ibidem fructu Catholicè inſtitui ſolent, mille nimirum & aliquot cēteni, qui quotidie Ieſuitarum Scholas obibant, cùm ex vniuerſa Belgica, tum è Gallia, Germania, Hiſpania, Anglia, Scotia, Hybernia, immo & ex Hollandia, Zelandia,

Frisia, &c. quæ res Dæmonem valde vrit, ac per chara capita fidissimósque sibi seruos Hæreticos Caluinistas perturbatam atque impeditam vellet Quamobrem edictum graue ac minax vulgauère, si qui liberos eò ablegassent. Sed sapientes viri adhuc Apostatę Iuliani conatus exitiúmque meminêre.

CAPVT TERTIVM.

Cur responsio hæc non sit emissa maturiùs.

MINIME mirandum, Apologiam hanc meam nonnihil, priusquam venire in lucem vellet, substitisse, passósque esse nos, vt Leydensis Iudicij sententia Patriam interea peruagaretur, & talium Virorum auctoritate, nostróque silentio homines ad credendum induci videri possint. Fateor; priores mei libelli lucem incunctantiùs adspexêre. At cùm Leydense Concilium in sententia acceleranda præcipitantiùs egerit, vt ob id impegerit: oportuit scilicet nos in hoc scopuloso negotio incedere cunctantiùs atque maturiùs. Quæ impetu fiunt; subsistere non solent: quæ cunctabundè, ac compositè, firmiora sunt. Neque sanè leue; homini quantumcumque extero vitam tollere, tametsi id leue sit Cal-

uiniſtis, quibus perinde eſt cùm hominum ceruices ſecuri ſubiecerint, quaſi papaueris capita deiecerint. Qui more maiorum ſontem capitalibus delictis in vinculis tenent, non nimia celeritate præcipites & deuij ad dicenda Iura decurrũt, ne quid fortè offenſum titubatúmve ſit; ſed potiùs nulli vel operæ vel auro parcunt, dum Veritas initio plerumq. obſcurior, velut oriẽtis Auroræ nebulis tecta, deinde quaſi meridie illuſtretur & dilucescat. Adeò ſtudioſè cauent, ne falſi quidpiam Conſularibus Prætoriíſve ſententiis allini poſſit, vel denique neglecti officij ſuſpicio vlla reſideat, immo inde conſideratiſſimum illud verbum, *Arbitror*, ad tribunalia tranſtulerunt. Iudices quippe intelligunt, reos non minùs ſuæ commiſſos eſſe fidei, quàm permiſſos poteſtati. Nec Iuri quidquam tam inimicum, nec Aequitati, quàm de cuiuſquã capite præcipitaſſe ſententiam. *Propè namque eſt vt libenter damnet, qui citò.* cõfirmant id diuinæ litteræ. *Feſtinant, vt effundant ſanguinem.* Valeat certè in bellis celeritas; Iudicia poſcunt moram. Præpoſterum enim de ſtillicidiorum ac parietum iure, de foſſis, de cloacis, de minimis aquarum itinerúmque controuerſiis attentè Iura perpendere; de ſalute verò hominis ac ſanguine præcipitanter ac temere iudicaſſe. Quam adminiſtrandi Iuris & Aequitatis diligentiam qui negligit; is vincula reuellit non modò iudiciorum, ſed etiam ſocietatis vitæq. communis. Nam *Ius & Aequitas vincula ciuitatum.*

Seneca.

Prouer. 1.

Cicero.

tatum. Talis certè támque accurata apud maiores fuit comprehensio sontium, & rei reorúmque animaduersio. Ceterùm dum Petrum Panne, quid Ipris, Duaci, Montibus, Antuerpiæ designasset, enunciātem audirent; æquitatis ac prudentiæ videbatur, à Leydensibus ad Vrbes litteras dari, eásque candidè consuli ad recensionem dictorum, notitiámque ampliorem. Nam tametsi harum vrbium Præsides sint homines antiqua & Catholica fide, ac non Caluinisticæ nouitatis; iurati sunt nihilominus, suósque iureiurando verum fateri subigere possunt. Quod cùm neglexerint; perspicuum est prudentibus Viris, non veritatem, sed publicam quampiam confessionem extortam esse, qua Iesuitarum famam, quos capitalium hostium loco ducunt, oppugnatum eant, structámque calumniam hominis miseri sanguine obsignent. Nos aliam institimus viam. hac visa sententia, scripsimus ad eas Ciuitates, & virum grauem expediuimus, quò peruestigando percontandóque accuratè doceremur veritatem, quæ litteris deinde Senatoriis, quas his ad fidem certiorem duximus apponendas, esset testatior. Ex illis namque tabulis publicis didicissent, Petrum Panne fuisse natum sub horoscopo Lunæ, (nam Hæretici etiam de natalitiis syderibus Mathematicos Genethliacos audiunt) & eguisse elleboro, bibacem instar siccæ spongiæ, semper madidum, semper siccum, nequitiæ

nequitiæ & ebrietati, luxui & saginæ natum, vento ac foliis leuiorem, obæratum, profusum nepotem & adesa pecunia. paucis, hominem nihili & histrionalis ingenij, scurram de triuio ac pantomimum. Vita siquidem eius fuisse fertur cuiuspiam (vt aiunt) Marcolphi, sicut variorum hominum confirmant testimonia, quæ apud nos sunt, & vnde vrbium Duacensis & Iprensis fuêre litteræ depromptæ. Notassent deinde eumdem fuisse Hæreticum vel Atheon, qui (quod vtrorumque est) ritus sacros cærimoniásque Ecclesiæ sanctæ impiè rideret atque contemneret. Denique totam viri confessionem scatere mendaciis, nec vllam homini assiduè varianti rectam stare sententiam: vt non minùs hanc caussam stultitia illius subleuet, quàm lædit improbitas. Nostri Leydani vel Caluinistici Iudices Reformati nihil horum volebant nosse. His venire in mentem profectò necesse erat, aut procliue saltem fuit suspicari, omnem hominis amentis confessionem, quem cernebant laborare mente, & Euripo inconstantiorem, nullius esse momenti, cùm idem vni atque alteri præterea Domino Bruxellensi crimen adfingeret, quos, certi de falsitate, in sententia tacuêre. Sed visum iis est, Caluinistas Levvardenses in Frisia Occidentali paucis abhinc annis egisse prudenter, qui similiter quemdam præconem mente imminutum eo modo accepêre. is siquidem ingressus

Levvardam, submissum illuc dicens à Verdugo Frisiæ Gubernatore, vt Guilielmo Nassouio vitam auferret, ab iis comprehensus est. ac tametsi Verdugo de stultitia tibicinis præmoneret (quam & ipsi probè perspexerant) nihilque tale in mentem venisse assereret; progressi tamen stultum capitis damnauêre. His magistris Leydenses Iustitiam Reformatam didicêre.

CAPVT QVARTVM.

De veritate sententiæ.

QVIN sententiæ huic nonnulla vera insint, quæ infirmam mendacij structuram fulciant, negari non potest; cuiusmodi sunt, Petrum capite luisse, cadauer ferro sectum, caput in vallo defixum, partes portis vrbis adpensas esse. Credi etiam licet, extra quæstionem & vincula fassum, quicquid sententia includit, & super hoc necatum. His saluis, salua est Iesuitis innocentia, non leui Caluinistarum dedecore ac scelere, quibus familiare est inducere captiuos, potissimùm in negotio fidei (variè minando vincula, neces, ignominiásque, promittendóque gradus honoris ac libertatem) vt quidpiam pro ipsorum libidine fateātur palàm priuatímve; seu voce, seu commentariolis, chirographis

& libellis.quo impetrato,hominem auferunt, immemores promiſſi, & ipſis Pœnis Puniores. Sanè dum aduerſus Scotiæ Reginam occaſio quæreretur, cepêre Caluiniſtæ virum nobilem Catholicum nomine Trochmortonum, quaſi is contra Reginam Angliæ cum Scotiæ Regina clandeſtina conſilia agitaſſet, fortunas vitámq. promittẽtes; adhibitis etiam minis ſi nollet acquieſcere, Themiſtoclem imitati, quem Suada & Violentia comitabatur. atque vt Cruciatui aut Præmio cuncta obnoxia ſunt: auferri ſe paſſus eſt, victus metu, ſuáque manu ſubſcripſit. Tum verò auehunt hominem in malam crucem, velut perduellem. Eò deinde omnia palàm negãti, cognita qua vſi erant infidelitate promiſſorum, grauiter interminati protulêre chirographum, itáque ſeruilem in modum ſed ſuo eum more interemêre. Neque id omittendum.

Dum Texalorum ſeu Northumberlandiæ Comes ab ipſis in cuſtodiam datus eſſet, cum alio quopiam viro Nobili ac locuplete, cui Schelleo nomen, Comitem noctu iugularunt; ſuppreſſa veritate, vulgatóq. libello, in vulgus fidem fecêre, quaſi ipſe ſibi mortem conſciuiſſet. Schelleum huius rei teſtem fieri poſtularunt. nihil eſt, inquiunt, quod criminemur: hoc vnum à te teſtimoniũ volumus; quo dato, dabitur viciſsim libertas exoptata, vſúſque fortunarũ. Teſtatus id eſt in Prætorio, mercedis loco, decreta in eum vitæ bonorúmque

amiſſio, vt qui Comitis coniurationem minimè detexiſſet. Græcis Parthíſve maior eſt fides. Tandem quadruplatores hi vitam conceſſêre, ſed in eius bona ceu vultures & harpyiæ inuolauêre, ad reliquias vitæ lacerandas. Hæc ei breuis fuit, conſcientiâ, quæ neque vigiliis, neque quietibus ſedari vel interquieſcere aliquando poſſet, animum aſſiduè vulnerante. Etiam hoc poſteritati relinquam. Fuit Londini Iacobus Atkinſonus, vir Catholicus, captus à famoſo Topleff, qui ſatellitum ſuorum manu captiuum noctu adiens, quærebat de Sacerdotibus & Ieſuitis. Iacobus nihil fateri. Tum Topleff, vt eum in ipſo neceſſitatis articulo conſtringeret: Quid? an non vidiſti duos hos Ieſuitas Ioannem Curreum & Thomam Stanneum in ædibus Barnes? erat is Catholica fide & nobilitate clarus. Negauit. Contrà Topleffus vehemens acérque: Niſi agnoſcas, in puteum hunc altum ibis præceps & mergêre. Proinde, ſeu ficta ſeu vera promas, liberè agnoſce. Titubauit infelix, & futuri metu præſentibus acquieſcit. ſubſcribit. Deuehitur Londinum: datur in carcerem cui Gathous nomen. Ibidem tum quidam Pibers Catholicus Presbyter vinculis tenebatur, qui, cognito falſo teſtimonio, errori obuiam iens commouit hominem, explicatáque delicti grauitate, rogat inſipienter factum ſapienter corrigat. Iacobus falſum teſtimonium reuocat. Inde Topleffus homi-
nem

nem obtorta gula in carcerem retrahit, adeóque dirè eum in equuleo appellat, vt ab illo remotus ſine mora è viuis abierit.

Hoc etiam facinus confecit ſæuus iſte bonorum ac vitæ ereptor Topleff. Erat in vrbe Londinenſi nobilis Eques qui facilè annos v. & xx. pro Catholica fide vincula tolerârat, Nepotem ſupremis tabulis ſcripturus hæredem. Nôrat Topleff Nepotem hunc alienum æs, quod grande conflârat, non nolle redimere, ſperabátque facilè ſe ex voluntate eo vſurum. adit, cum eo paciſcitur de patruo necando, cui futurus erat hæres, modò millenas libras Anglicanas ex re ad ſe ventura promitteret. Ita ſcilicet Impij, dum quod facere imbiberunt efficiant, fas nefáſque eodem ducunt loco. Nepos id in rem ſuam fore credens, facinoris atrocitatem grauans affinitatis nomine, aſſenſit. Itaque viſum vtrique, quæſtum animæ impendio inſtituere, vt cœcis mortalibus eſt anima quoque ipſa venalis. nam ſunt *πάντα ὤνια πλούτῳ*, *omnia venalia nummis*. Aristoteles. Topleff diu quietus non erat; & ſeni, & auro inſidias parat. rectà is ad Reginam, eóſque qui eidem à conſiliis. Nouam ſeni coniurationem imponit. Ille in cuſtodiam arctiorem detruditur, nec multò pòſt formidine tormentorum, febre correptus obit repentinò, vir magno natu, annum ætatis ſeptuageſimum ſupergreſſus. Redit Topleff ad Nepotem. paratam pecuniam ex ſtipulatione poſcit.

poſcit. Nepos aſſem ſeſe negat daturum, debitúmque nullum agnoſcit; quandoquidem non ille, ſed conſumta ætas attuliſſet Patruo finem vitæ. Vrget Topleffus dictorum conuentorúmque conſtantiam. Videns tandem nihil ſe ab Nepote verborũ terrore abradere, vult ſummo iure experiri, ac nouum litis genus intendit. Obitur vadimonium. Topleffi Aduocatus, eodémmet præſente, vrget ſibi ob addictam cædem ad denarium ſolui. Audeo, inquit, dicere, tametſi Topleff Patruum ſuo telo non ſuſtulerit; omnes tamen neruos in id intendiſſe, ac fas eſſe dici, eius manu cecidiſſe, quandoquidem metu tormentorum, quæ ei Topleff intentabat, interiit. proindéq. iudicatum ſolui ſatisdet. Adſtantes tribunali partim ridere Topleffum à Nepote facetiùs reluſum; partim flere ſuper iniqua viri ſenis nece. Neutri ſine exſecratione facti abiêre.

Perfamiliare id erat Comiti Leceſtrio, quod olim Auguſto, qui (vt medici duriora pharmaca præbituri, molliora præmittunt) lenibus priùs homines permulcebat, quò deinde cautiùs amariſsimum illud poculum Seruitutis obduceret. Leceſtrius Auguſtum hac arte anteiit, qui dum grauiorũ criminum reos haberet in catenis, conſueuit ingentia promiſſa facere, linguæ lenocinio vaferrimè blandiens, vt quidpiam contra Catholicos falsò deponerent. quo facto, vita adimebatur. Eamdem hanc artem ab hoc magiſtro ſuo didicêre Hollandini Puritani, qui eodem Calviniſtico

uiniſtico melle tendiculas ſuas circumliniunt. Petrus Panne ob aliud quidpiam captus tenebatur: Admouerunt torturæ, & ex homine cerebri ac rationis inope, ſed nequitia abundante, tamquam ex fungo vel ſpongia (quam ipſimet priùs imbuerant felle amaritudinis) qui ad guſtum ſuum faceret, expreſſerunt hauſtum venenatum, quem Ieſuitis propinarent, vti his verbis ſententiæ liquet, *Agnouiſſe quoque omnia extra ſupplicium*, hoc eſt, primùm in tormentis ac cruciatu, deinde carnificina ceſſante. Inde publicè fatendum fuit, iniecto terrore ſemel guſtatæ pœnæ. Stulti ſiquidem vt plurimum plus ſenſu quàm intellectu pollent; & in quæſtione, dolor veram falsámve vocem elicere poteſt etiam ab inuito. Scribitur nihilominus ex Hollandia, eum crebriùs confeſſionem variaſſe, ac demum ſupremo vitæ die omnino ſilentem adijſſe ſupplicium.

Antiqua Galliæ Hiſtoria quam annis ab hinc mille reliquit D. Gregorius Turonenſis, non abſimile facinus Regis impij Chilperici ſub idem tempus admiſſum litteris prodit. Hic cùm odiſſet S. Prætextatum Epiſcopum Rotomagēſem, hominem depreſſum volens, Lutetiæ nõnullos collegit Epiſcopos, quorum operâ in eum iam ab Epiſcopatu remotum auctoritate vteretur. In multis virum innocentem incuſabat; quæ ita nôrat refellere Prætextatus, vt Rex falſitati prætexere nihil poſſet, vel hiſcere aduerſus Veritatē. Nihilominus, quò eum obnoxium ſibi faceret, vt

nouacula

nouacula acuta ſtruit dolum, aitque ſuis Palatinis: Perſuadete Epiſcopo Prætextato vt facinus agnoſcat; Regem eſſe natura benignum ac clementem; mox omnia condonaturum confitenti, & in magna veneratione habiturum. Agnoſce Politicos, quorum eſt rarò ex ſententia loqui. Epiſcopus homo minimè malus capitur dolis. ita velle facere parat, aurâ aduerſitatis ramos Conſtantiæ nonnihil inflectente. Sic Viros præſtantes inattentos propria ipſorum arma, Conſilium ſcilicet & Prudentia, ſubinde deficiunt. Sed Regem minimè clementem offendit. In carcerem ſine mora raptus, deinde aſportatus in remotas terras, demum in æde ſacra vulneribus confectus è vita deceſſit. Sed Rex impius, Deo vltore dignum moribus factiſque ſuis exitum vitæ inuenit. Nam equo exſcendens, miſerabiliter & ipſe periit, & Gunthéramnus Rex vidit eum vita functum à S. Tetrico Epiſcopo Lingonenſi in igneum puteum conijci, vt ibidem ceu Anathema Maranatha, & à Deo maledictus, æternis ignibus miſerabiliter obijceretur vrendus. Paria hos mendaces manent. Nam Deus, qui ne verbum quidem ociosè iactum vult inultum, haud impunè abire permittet hæc offenſionis & exitij plena mendacia, ita per Sapientem interminans: *Falſus teſtis non erit impunitus; & qui loquitur Mendacia, peribit.*

Prou. 19. v. 9.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De LX. *mendaciis huius sententiæ.*

NE has Pseudoprophetarum, vt sic dicam, colocynthidas nobis Leydæ coctas, falsitatis suæ amaritudine mortiferas vlli esse contingat: Veritatis eas succo & dulcedine censui condiendas, quam quidem Veritatem ex Vrbium grauiúmq. Virorum Testimoniis huic opusculo subiunctis exprimemus. Plenum ignominiæ ac probri nomen vrbs Leyda incurrit, adeò hebeti Falsitatis mucrone Veritatem conata lædere. Nam tametsi à Petro Panne fuissent omnia hęc mendacia effutita temere; non sunt nihilominus mendaciorum expressores & satores extra noxam, neque à turpissimo dedecore immunes. Aiebat Aristoteles hoc lucri facere homines mendaces; ὅταν, inquit, λέγωσιν ἀλήθειαν, μὴ πιστεύεσθαι· *vt deinceps etiam Vera dicentibus non credatur.* Quiuis Catholicus hîc deprehendet, ora Caluinistarum sacra omnia ceteraque mendacio assiduè polluere, ideóque eos tamquam mendaciorum machinatores & architectos despici & abiici oportere. Anno CIƆ. IƆ. LXXXI. loquebantur hîc Bruxellis in vul- *Aristot.*

in vulgus, Paſtores omnes Eccleſiarum eſſe proditores, eóſq. ſacrarum Reliquiarũ loco, oſſa equorum ac veruecum, aliorúmve brutorum, plebi proponere veneranda, ſexcenta talia commenti (quod vnum poſſunt) vt populum Chriſtianum à ſincera fide diuellerent, mendaciis ſolis animoſi. Vnum enim ex eorum documentis eſt, *Licitum eſſe mentiri*, præſertim ſi proſit, id quoque aſſerente illo Cathedræ peſtilẽtis doctore Machiauello. Quàm *August.* huic diſpar Aurelius! *Mentiri non licet nec pro Dei laude*. Immo & Thebanus Epaminundas ne iocosè quidem Mentiri vmquam voluit. Proinde quid magnopere mirere Mendaces hos etiam Iniuſtos eſſe, vt eſt in prouerbio; Κρὴς κ̀ φώρ· *Vbi Cres, ibi fur?* Ceterùm omnis hæc Caluiniſtarũ ars, vt Arx extructa inſtructáq. oppugnandæ Veritati: Verùm, ea lapſa repentè ruinam cum ſonitu trahet. Admouebimus arietem: ſexaginta, vti ſpero, mendacia minimùm deiecturi. atque en, arietẽ nondum applicuimus, tremit. Quas velut munitiunculas præſtruxerunt, conſilium eſt leui manu *Cicero.* diruere. nam, *Parum virium Falſitas habet.*

I. Aiunt, *Petrum Panne Collegio Ieſuitarũ Duaci butyrum parare ſolitum*. Vt modeſtè dicã, id alienum à vero. Siquidem numquàm ne ſelibram quidem ei comparauit, vt docent ſubiuncta Teſtimonia. II. *Melchiorem V Valle famulantem Ieſuitis Duaci*. Melchior eſt ciuis Iprenſis, vinctus lege Matrimonij, neque vmquam is fuit in Ieſuitarum famulatu, nec Duaci neu alibi,

ſed

ſed lignarius faber manuum mercede vitam tolerans. III. *Ipſi aſſenſum.* Indorum Philoſophis ter mentientibus per omnem vitam ſilentium imponitur: qui vera dixerint, leuantur portorio & vectigali. Ergo ſilere, iam ter mentiti. Deinceps ne γρύ. Adeo enim Melchior eſt Petro affinitate deuinctus, vt ipſus id ignoret. IV. *Melchiorem Duaco quatuordecim circiter diebus ante ferias æſtiuales Ipras veniſſe.* Pergunt mentiri, manent vectigales. biennium eſt non vidiſſe Duacum, niſi modo exeunte Iunio, dum Petrus in Hollandia capite lueret. V. *Melchiorem in vſus Collegij Duacenſis annonam petiiſſe.* Numquam tale quid à Petro pro Collegio poſtulatum eſſe, ſubiecta docent Teſtimonia. VI. *Eumque Ipris biduum triduumue Petri reditum exſpectaſſe.* Vanum quid neceſſe id erat, cum ipſe Melchior Ipris cum vxore ac liberis viueret? VII. *Melchiori cum Maria Sim-vvets Petri coniuge erat ſermo de nece Comitis Mauritij.* Stultum foret, cum mulierculis, quæ plerumque futiles ſunt ac ſilere neſciæ, de tantis rebus loqui. Numquam id Melchiori in mentem venit, neque etiam coniugi. nam ipſe Ieſuitis Duaci non adfuerat. IIX. *Maria valde Ieſuitica.* Quærunt mendacio latebram; tegi nequeunt. nam ea neque Ieſuitarum intereſt concioni, neque eis confitetur, & perraro in eorum templum venit, neque aliqua peculiaris ei cum Ieſuitis communicatio. IX. *Petro domum redeunti Melchior illum conſilium de Comite Mauritio necando propoſuit.* Somnia. Ne per

ſomnium id homini in mentem ſubiit, neque verò audierat vmquam Petrum Panne butyrum Duacenſibus Patribus paraſſe. Sed ſomnia habenda pro ſomniis.

X. *Ait ſe ad æs alienum Petri, conſilium noſſe, modò ne detrectet ad Hollandos proficiſci.* Legiſtis veriorem Hiſtoriam Luciani, vel Apologos Aeſopi. Eſſet id ſanguine debita diſpungere. XI. *Vxor frigidum maritum inflammabat.* Verbum ei hac de re nullum vmquam, vt ex eiuſdem atteſtatione conſtat. XII. *Ait nullam difficultatem fieri oportere in animarum ſeductore tollendo.* Iurat numquam cogitaſſe. XIII. *Addit, Si vir eſſem, ipſamet aggrederer.* Fucant mendacium femineo ſchematiſmo. ſed tamquã Coa veſte, vel vitrea toga, vt ait Varro, tranſparet falſi turpitudo. Cui bono velum, ſi tranſluces? qui feminam nouêre, agnam non Amazonem agnouêre. XIV. *Melchior petit vt Petrus Duacum excurrat.* Et id à veritate alieniſſimum. nam Melchior nihil de alimẽtaria hac Petri prouiſione cognôrat. XV. *Melchior iam Duacum profectus.* Is Duacũ non eſt profectus, quàm ſub feſtum S. Ioannis, vt ſtannarium vxoris ſuę auunculum viſeret, dum Petrus iam ſubeſſet tortori. XVI. *Petrus Duacum venit, vt res ſuas cum Ieſuitis componeret.* Habebat quod cum ſuis creditoribus, non cum Ieſuitis, tranſigeret. XVII. *Diebus, vt vocant, Rogationũ erat Duaci, & ter quatérve in Collegio pranſus eſt.* Numquam ibi per omnem vitam guſtauit panem. XIIX. *Apud Prouincialem.* Hîc meremini myrteam Charundę coronã. Hanc

is da-

is dabat Calumnię præmium. Notate, quæso, totam hanc mendaciorum catenam ex hoc velut annulo pendere: quo discisso, reliquos in se ruere necesse. Omnino hîc nauigat Caluinismus plenis Impudentiæ velis, abreptus Licentiæ vento. Duo verba, duo mendacia. Prouincialis Oliuerius Manareus tribus facilè mensibus antè decesserat Duaco, & hebdomade Rogationum hîc Bruxellis nobiscum versabatur. XIX. *Præfectus.* Non erat in Collegio Duacensi vllus Superior; cui esset Præfecti nomen, & qui Rectori anteponeretur.

XX. *Rector.* Præsenti Rectori Philippo Frumauldio hoc officium pæne triennium iam obeunti Petrus Panne numquam visus est, vti neque Ioanni de la Haye Seruio, neque Francisco Pratano, Rectoribus quondam eiusdem Collegij Duaceni. XXI. *Cum eodem confecit rationes.* Nulla vtrimque pecunia debebatur. XXII. *Ipsi debebātur* LII. *vel* LIII. *libræ.* Ne triobolus. XXIII. *Illas transcripsit Nicolaö de Laling.* Iuratus affirmat Nicolaus nihil horum cognouisse. XXIV. *Prouincialis, Præfectus, Rector, cœperunt cum ipso de prædicto facinore colloqui.* Hîc basilicè cretizant. mirum viros sapientes Batauæ Academiæ hæc mendacia adeò immania manu non tangere, cùm doceat Aristoteles *Ingeniosos valere tactu.* Habent Iesuitas pro hominibus acutis. Viderunt quoque Petrum cerebro laborantem. quî ergo fieri potest, tres hosce Viros eruditos, & Superiores Iesuitarum, rem tantam (vt est Mauritium *Aristot.*

necandum suscipere) homini stulto & ebrioso indicare, immo committere? XXV. *In eam rem rationes modósque adferunt.* Caluinistæ frustra colorant hunc Cretismum. Iesuitæ nullum vmquam docuêre artem iugulandi. vltra peccatum mortale, quod tali consilio dato contraherent, illaquearentur vinculo Irregularitatis. Docent potiùs quomodo homines bis beatè viuant. XXVI. *Sclopum emeret, & caligis insereret.* Cur non illi coëmêre sclopum, cùm scirent miseri hominis inopiam, & contracta nomina, ipsique necem Comitis auidiùs expeterent, quàm Petrus, qui promissis ad eam adeò laboriosè fuerit impellendus? Cur verò sclopus? Vbi tum hæc SICA TRAGICA, quam Societati tribuitis? XXVII. *Prouincialis dimidiam ad eum habuit concionem.* Te- nemini Memmia lege de Calumnia. Prouincialis Oliuerius nec vidit nec locutus est aliquando Petro Panne. tam Oliuerio is notus est, quàm Lictor Arabiæ, vel Vespillo Paphlagoniæ. Ac sanè P. Manareus à B.P.N. IGNATIO, cui olim Romæ conuixit, artem iugulandi numquam didicit. XXIIX. *Vt facto facinore modum quæreret elabendi.* Stupor consilij arguit fictionem. Debebat Prouincialis docuisse rationem euadendi. modò hoc vnum ait; Vide quî possis elabi. Præceps sit oportet, vel mente captus, qui hæc credat. XXIX. *Si quo humano casu, vt fit, occumbat; certò sciat, corpore animóque ad superos sine mora sublatum iri.* Hîc vide quàm hæretici sapiant. Nemo siquidem anima & cor-

& corpore ad cœlum euolat, priusquam orbi illuxerit supremus Iudicij dies. Quî potuit Prouincialis Manareus, vir ea sapientia & doctrina, id ignorasse? nisi fortè Petrus Panne fuerit Helias, qui vita functus, denuo sit cum socio post triduum vitæ reddendus? *Apoc.* 11.

XXX. *Petrus talibus aliisq. verbis assentatoriis permisit se capi.* Quàm verè Veteres! ὁ δὲ χρῆς χρηλισμῷ χρησάμενος. nisi fortè credant in labris Prouincialis Suadam sessitasse. Credibilius est ipsi sic à Caluinistis fuisse persuasum, dum vexaretur equuleo, vel tentaretur pulcritudine promissorum, vt ad palatum eorum loqueretur. XXXI. *Linguis assentatoriis ad persuadendum idonei.* Iesuitæ non docent assentari, docent puram Veritatem. Assentantur Caluinistæ, qui blandientes promissis pulcris, vt oues irrepunt, vt alloquiis & comitate officia prouocent: cum fœtore egrediuntur vt hirci. Tametsi eorum plerique indocti, non ignorant tamen Hæresim auspicâtibus vtilem esse Clementiæ famam. Promisêre initio conscientiæ libertatem & aureum seculum: sed quocumque penetrant, arctant irretiúntque conscientias, & concitant bella & famem; nec apud eos alia est Libertas conscientiæ, quàm posse priscam fidem impunè deserere, ac noua Caluinismi somnia visâque nocturna vanè amplecti. XXXII. *Iesuitæ addixerunt Petro* CC. *libras Flandricas.* Apage cædis pactæ & constitutæ mercedem. Iudæi, non Iesuitæ, auro sanguinem emunt. Neque verò tribus hisce Patribus *Plut.*

integrum erat hanc Collegiis alẽdis addictam alienare pecuniam, inſcio R. P. N. Claudio Aquauiua, vniuerſæ Societatis IESV Generali. XXXIII. *Vrbem Iprenſem centum quotannis libras Ieſuitis pendere.* Rurſus rota extra orbitam Cicero. Veritatis. *Cadit ergo in virum bonum mentiri?* Duacenſes non colligunt ab Iprenſi Vrbe diobolum: ſed Collegio Iprenſi adſcriptus eſt ſuper Vrbe reditus X. librarum ac paulò amplius. XXXIV. *Quòd alumnos Seminarij doceant.* Falſa oratio. Nam docebant Iuuẽtutem, antequam iſte reditus ad eorum vſus perueniſſet. quam quidem pecuniam citra onus, ac bona parentum ſuorũ venia, quidam è noſtris ante triennium Societati reliquit. Gratis ſiquidem omni genere diſciplinę imbuunt Iuuentutẽ. XXXV. *Addicebant ei tabellariatũ.* Cyrus Xenophonteius ait apertum mẽdacium viam obſtruere veniæ conſequẽdæ. quare ægre, metuo, hominibus his indulgebitur. Numquam ea res cogitata. & quomodo addicerent, dum nullus vacaret omnino? XXXVI. *Aeſtimabatur ei centum libris annuis.* Ieſuitæ Duacenſes nihil ſciebant de lucro tabellarij Iprẽſis: neque Prouincialis Oliuerius, vir profunda canitie & ætate venerabilis, vtpote annorum LXXVI. tanta tot iam annos adminiſtratione detẽtus, vilibus hiſce rebus miſcebatur. Scribit Iprenſis Magiſtratus munus illud eſſe laboris plenum, emolumẽti propè nullius, vt quiuis intelligit. XXXVII. *Tametſi id officij à Ieſuitis minimè conferretur, opus tamen ſolùm leui commendatiunculæ fore.* Magna certè

pręſumunt

præſumunt hi de Magiſtratus in nos humanitate. non vides ſtuporem huius mendacij? Illud officium palàm venit lautiori licitatori. nec Petrus Panne id ignorabat. itaque non potuiſſent hoc ei Ieſuitæ addixiſſe. XXXIIX. *Ioannem Panne, eius filiolum, ſcribēdum eſſe Canonicum Tornacenſem*. Mendacium hoc eſt non paulò ſtupidius. Ioannes Panne impuber puer eſt, annos XI. aut circiter natus; huic compararent Ieſuitæ Canonicatum, &, vt quod res eſt dicam, Simoniacè vēderent, & vetāte Synodo Tridentina, ne quis promoueatur ad Canonicatum alicuius Eccleſię Cathedralis, qualis eſt Tornacenſis, antè annum XXII. vt ſine dilatione Ordini Hypodiaconorum adſcribatur. Non vident hi Cretenſes eos qui id vellent, toti Clero iniurios fore. XXXIX. *Hoc promiſſo Petrus ſubſcribit obeundo facinori*. Hi Hæreticorū Solones & Lycurgi. Quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria, audent pro Tribunalibus Batαui, parū memores (prô miſeri!) Dei oculū Iudicijs omnibus intereſſe. Videntur Leydenſes ex hac confeſſione non obſeruaſſe Petri ſtultitiam, qui certum vitæ periculum inanibus hiſce promiſſis eſſet aditurus. Vero ſimilius eſt (quod Iprēſes ſcribunt) ſperaſſe hoc mendaciorum quaſi vento ad altiora apud Hollādos attolli, cùm minimè ignoraret, Caluiniſtas Ieſuitis ſolùm calumnias ſtruere.

XXXX. *Petrus poſtridie cōfeſſus eſt peccata ſua Prouinciali*. Res prodigio ſimilis. quomodo ei confiteretur, qui eo tēpore Bruxellis nobis aderat?

Sed non frustra Physici eodem tempore iisdem corporibus diuersum assignant locum. XXXXI. *Prouincialis faciebat ibi rem Diuinam.* Ait Plato Medicis concedendū esse Mendacium. sed vos quo iure sic mentimini, qui multos læditis, nullis medemini? Eo tempore faciebat rem Diuinam non Duaci, sed hîc Bruxellis in D. Christophori. XXXXII. *In eam rem sumsit Petrus Eucharistiam.* Iprenses & Duacenses testantur, non fuisse Catholicum, sed hæreticum, & arcessunt crimine ἀθεότητος. Quis ergo credat confessum esse, Liturgiæ interfuisse, & venerabile Sacramentum ritu Catholicorum à Iesuitis accepisse; quos paratus erat prodere Caluinistis? ô virum Catholicum! XXXXIII. *Peccata confitens promisit summa ope niti rem exsequi.* Credine potest hæreticum (is Petrus erat) optasse Principem fideique suæ defensorem interimere? Prudentes id nequaquam credunt. XXXXIV. *Nouissimè eum ita affatus est Prouincialis; Vade in pace, abis vt Angelus Dei.* Meminêre Veteres ἀγαθοῦ δαίμονος, seu boni Genij. Cuique homini bonus à Deo (vt nos credimus) assignatus est Angelus, atque etiam malus, vt docti non pauci aiunt. Fortè erat is malus Genius Prouincialis vel Petri. nam Prouincialis quî potuit hæc verba Duaci dicere, nobiscū cùm esset hîc Bruxellis? XXXXV. *Accepit litteras cambij à Iesuitis.* Ne schedulam quidem sesquidigitalē. XXXXVI. *Super quodam Francisco Thibault Antuerpiæ habitante apud Prædicatores.* Vigilantissimus Antuerpiensium

Plato.

ium Magiſtratus grauiſſimam huius rei pro ſua ſapientia inſtituit quæſtionẽ. Nullus Antuerpiæ inuentus Franciſcus Thibault, præterquam adoleſcens quidam, annorum XXIII. circumforanei complexus opificium, conuiuens patri ſuo Ioanni; & puer quidam annorum circiter XII. vel XIII. Oliuerio Thibault filiolus. XXXXVII. *Recepit Petrus à dicto Franciſco Thibault eam ſummam XII. librarum.* Si Veritas anima narrationis; exanima eſt iſta narratio. A nullo Franciſco Thibault obolum petiit vel accepit; ſed ſine ſyngrapha mercatoria venit ad Oliuerium Thibault, Iprenſem mercatorem, petens duas tréſve vel quatuor libras Flandriæ vtendas, quæ ei Ipris redderentur. quæ cùm negarentur, vlterius petiit tres quatuórve florenos, quos ſimiliter non obtinuit. XXXXIIX. *Vndecim libras miſit vxori.* Iurauit vxor nihil accepiſſe. ſi tam pia quàm aiunt, non peierat. XXXXIX. *Commiſit pallium.* Contrà, illud Antuerpiæ precio V. florenorum vendidit cuidam Ioanni Pylinx veſtiario, prope forũ Veneris, ad inſigne quatuor filiorum Haymonis ſeu Edmundi.

L. *Adiecit pallio ſubligaculum.* Vtebatur nigro, permutauit cæruleo & viliore, apud Catharinam Bertraim filiam Firmini veſtiarij, Antuerpiæ in Rubro Leone ſeſſitáte, vnde eidem XXV. aſſes ab ea numerati ſunt. LI. *Prædicta omnia miſit vxori operâ Theodorici Bul.* Negat Theodoricus quidquam ab eo pecuniæ ad vxorem accepiſſe, aderátque Petro pallium

vendenti, & caligas permutanti. LII. *Adiecit Petrus litteras ad coniugem.* Nullas dedit Theodorico Bul, nec vllas vxor ait ad se perlatas. Postremò datæ erant IIII. Kal. Aprileis.

Deiecimus Mendacia duo & quinquaginta è relatione Petri Panne, eiúsque sententia impiè conficta. Quæ sequuntur, sunt Caluinistarum Calumniæ. LIII. *Iesuitas esse Sectam.* Ad id sexto capite respondebo. LIV. *Esse cruentos.* Malè id in clemétes quadrat, qui nullam vnquam guttam alieni sanguinis, plurimas sui pro Religione Catholica apud Hæreticos Ethnicósque fuderint. LV. *Esse crudeles.* Capite septimo id examinabimus. LVI. *Innotuit vniuerso Orbi eos istiusmodi esse, sanguinarios nimirũ & crudeles.* Verum id erit, dum Caluinistę Orbem vniuersum impleuerint. Nam Christianis toto Orbe diffusis fuit hactenus hæc Iesuitarum ignota crudelitas. In subiunctis Vrbium litteris Duacēsium & Iprensium (qui sunt pars aliqua Mundi) vides Iesuitis multum laudis tribui. Idem facerent aliæ Vrbes, vbi habitamus, si opus foret; nec in Belgica tantùm, sed etiam per Europã, Africam, Asiámq. ac tandem Americam, quò penetrarunt. Qui potest ergo toti Mundo constare, Iesuitas esse crudeles? quod vniuerso terrarum Orbi innotuit, facilè citra mendacium demonstrari potest. Iam vnum peto, vt Caluinistæ ostendant, quid affirment assertione verorum testium, qui sint ab hæretica labe remoti. Multum clamant, vt indoctæ suæ plebeculæ mendacia persua-

persuadeant, sed nihil probant. LVII. *Quòd millecuplas artes & proditoria facinora quotidie aggrediantur.* Αἰσώπȣ γελοῖα. Quî sciunt id Batavi Caluinistæ, qui numquam Iesuitas cõspexêre? meliùs inquirant, priusquam adeò audacter fidentérque loquantur. LIIX. *Et conantur exsequi.* Mirum est hoc à nemine per totum Orbem præterquam ab Hæreticis videri vel intelligi, nisi reliqui omnes tenebras in oculis circumferant, & talpæ sint; ipsi Videntes. LIX. *Ad Reges, Principes, & Heroës necãdos.* Obijce Hæreticis hanc παῤῥησίαν. respondebunt illud Tiberij, *In ciuitate libera, liberam quoque linguam esse debere.* quæ sanè libertas apud Batauos tanta est, quanta olim Athenis, vbi Plato ait, non hominibus modò liberis, sed seruis quoque, mulis, & asinis summam fuisse licentiam. Minimè mirum Caluinistas ingenio malo prauóque, impijssima Iesuitis obijcere facinora, pro sua maleuolentia, qui eos partim pro grauissimis aduersariis habent; partim, quòd ipsimet nihil aliud mente agitãt, quàm cædes Virorum Illustriũ & Principum. Quo cor abundat, id per os effluit; vt vas id olet quod cõtinet.

LX. *Papalis Superstitio.* Mendacium fœdum incœptu, etiam fœdum exitu. Hîc agnosce hostes Ecclesię. Indocti magistri, qui formare vultis orbem, & quod à multis retrò sæculis temporibúsque Apostolorum in Ecclesia per omnes omnino terras sanctissimè retentũ est, tamquam Pontificiam Superstitionẽ imperitę calumniamini. Primùm quid sit Superstitio discite:

discite: tum fas esto ea de re loqui. Nos nullam agnoscimus Papalem Superstitionem, sed doctrinam ab Apostolis traditam. Vbi commonstraueritis, quo auctore, quibus temporibus locisve, hæc, quæ superstitiones nominatis, in sanctam Ecclesiam recepta sint; tum latiùs vberiúsque colloquemur. En, arcem Falsitatis conuellimus altis sedibus impulimúsque. corruit structura impiorum, & arena sine calce, nullo temperamento in arenis fundata. Hæreticorum siquidem ψάμμυς πλέκειν. Tantùm vide, in agro Caluinistarum mendacia nasci omnino plura, quàm sycomora in campestribus.

CAPVT SEXTVM.

De Secta.

VNVM è superioribus mendaciis erat, Caluinianos nobis *Sectæ* nomen imponere. *Hæreticos* dicere non audent. Quippe non Iesuitas, sed semet (conscientia teste) suíque similes, Hæreticos agnoscunt, vt Lutheranos, Anabaptistas, Svvenckfeldianos, reliquósque, qui ab Ecclesia Romana impiè defecêre. Itáque nos Sectam vocant, molientes in Ecclesiam varias Sectas inuehere, vt innumerabilibus ipsi Sectis secti sunt atque diuulsi. Variis libris inter cetera docui quid

Sectæ ſint, eáſque apud nos exſiſtere non poſſe. Sed hi Sectarij petulantiùs oſtendunt ſe more ſtultorum laborare prudentia, nec aſſequi conſentanea rationi. Nam ſtulti præ inopia mentis mordicus obfirmati hærent in ſententia,quacumque demum ratione decertes. Hoc quorumdam apud Batauos ingenium, quibus calida illa nocturnarum auium ſtercora (quæ honeſtè Copronymos hos Hæreſimque declarant) iudicij lumen exſtinxêre. Deeſt miſeris aries, quo Propoſitiones meas concutiant; ſed interim ſimus æternúmque ſimus Ieſuitica Secta, neceſſe eſt; quandoquidem id ſemel à vero auij animis concepêre. Proinde denuo mihi docendi ſunt, ſi fortè tandem aliquando rationem capiant, eique obſecundent.

Vox *Secta* eſt à Latinis, notátque quoddam hominum genus, qui ab aliis ſunt reciſi, vt olim Ethnici ſectis Philoſophorũ (quę omnes mutuò corrixabantur) Athenis abundarunt, quales legis Academicos, Peripateticos, Stoicos, Pythagoreos, Cynicos, alióſq. non paucos. In Eccleſia nihil eſt eiuſmodi. ſumus enim omnes in fide & Chriſti diſciplina cõformes. Qui ſunt toto orbe Catholici, vnius ſunt nobiſcum Religionis. Ingredere Indiam, Braſiliam, Peru, ſeu Ophir Sofalam, Mexico, Iaponem, Chinam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Poloniam, Galliam, Angliam, Græciam, reliquáſque Orbis prouincias: eadem Catholicis omnibus fides, nullo articulo variata;

riata: eadem ſeptem numero Sacramenta; eadem Mandata Dei & Eccleſiæ, eadem quadraginta dierum temporúmq. aliorũ Ieiunia. Vbique Liturgia pro viuis & vita functis, inuocantur Sancti, honorãtur Imagines, habetur Papa Romanus S. Eccleſiæ caput, ſuſcipiuntur Peregrinationes, Sacerdotes ab Epiſcopis inſtituuntur, aliáque iſtiuſmodi. Nec modò id hoc æuo per omnes Chriſtianæ Reipub. oras fieri cernimus: ſed ſi libeat ſuperiora repetendo, à maioribus tranſire ad maiores; docebit omnis Antiquitas, veterúmque Hiſtoriæ, nullum eſſe tam remotum in terris locum, vbi eadem omnia omnibus retrò ætatibus à Catholicis factitata non ſint, vſque ad tempora Apoſtolorũ, Religionis noſtræ Principum. Tantum eſt pondus Veritatis. Proinde noſtra Eccleſia eſt Catholica & vna, ceu ingens quædam ciuitas cincta mœnibus, multas complexa familias, variorúmque Ordinum contubernia, ac mutuæ indigentiæ aſtricta vinculo, quæ licet ſint alia ab aliis diſtincta, non ſunt tamen diuerſæ Sectæ, neque altera alterã damnat impeditve. Varia ſunt quaque in Vrbe opificia & officia, diuerſi ſtatus atque familiæ, vt in humano corpore alij atque alij artus, quibus tota compages continetur. Hæc (vti mẽbra ipſum corpus) efficiũt perficiúntque Ciuitatem, vnum alterum iuuans diuerſis vitæ functionibus & officiis. Eccleſia itaque Ciuitas eſt, ſacrarum litterarum teſtimonio, multas ſimiliter familias, ſtatus, & officia cõtinẽns;

nens; cuius quidem Ciuitatis vnum Christi instituto est spectabile caput D. Petrus, eiúsque in Sede Romana Successor, Legum Conditor & Interpres, *qui Iura omnia in scrinio pectoris sui habere censetur*, sub quo ordine Hierarchico sunt reliqui Patriarchæ, Episcopi, Antistites sacrorum, Pastores, atque ita deinceps, à cedro ad hyssopum. Nec enim tua meáve est Ecclesia, sed ego túque sumus Ecclesiæ. Sunt itaque in hoc cœtu Ecclesiastici viri ac Laici, sunt multę familiæ Religiosorũ Ordinum, nulla ab altera dissidens. sumus quippe omnes participes (vt Symbolo docemur) precum & operũ præclarorũ, quę à singulis huiusce quam dico Ciuitatis inquilinis & ciuibus per omnes terras fiunt. Quapropter Iesuitæ non constituunt Sectam, sed familiam eadem fide, iisdem Sacramẽtis, eisdẽ præceptis & statutis Ecclesiæ cum omnibus Christianis temperatam. Veræ porrò Sectæ sunt Hæreticorum Synagogę. Vt enim docet D. Augustinus; Dum initio S. Ecclesiæ Dęmon videret pulchrã congregationẽ Christianorum, qui per vniformem fidem in vnitate viuebant; pro virili nisus est diuersis eam Sectis scindere, vt homines crederẽt Christianismum nihil esse aliud quàm Sectam specialem, cuius primus Magister erat Christus; vt fuêre Academici, Platonis sectatores; vt Peripatetici Aristotelis. Ita Simonem Magum excitauit, cum hominibus eiusdem disciplinę. Deinde Sabellium, Arium, Macedonium, Eutychen, Seuerum, alióśque innumeros,

Bonifac. Octauus.

Libro 18. de Ciuit. Dei, c. 51.

&

& nostro tempore in florentissima illa & Augusta superiore Germania Martinum Lutherum, primam luctuoso nostro seculo quasi turbulentissimæ Tragœdiæ tubam vel classicum, cum reliqua eodem ouo fœdo partu prodeunte progenie, Bucero, Svvinglio, Caluino aliisque, qui Sectas amplius octoginta auctoribus ac sententiis dissidêtes notati sunt constituere. Heu! quot ab vno capite capita! Lernam diceres reuiuiscentem. Isti sunt Sectarij, Sectásque gignunt, quæ cùm in nullo conueniant, in vnum tamen (tamquam serui nocentes ad aram) concurrunt, vt matrem suam Ecclesiam, in qua ad nouum ortum sacro fonte abluti & gratia renati sunt, in morem crudelium viperarum funestè flebilitérque dilanient. Omnes hi Sectæ dicuntur, id est abscissi, duabus æquissimísque de causis.

Primùm, quia semet ab Ecclesia rescideruntac sponte eiecêre. nobiscum priùs vitam agitabant. Lutherus erat è familia S. Augustini, Bucerus è D. Dominici, Conradus Pellicanus è S. Francisci, Petrus Richerus Carmelita, Oecolampadius D. Brigittæ, Petrus Martyr Carthusianus, Bernardinus Ochinus Capucinus, Thomas Tiletanus Ordinis D. Bernardi, Svvinglius Pastor, Caluinus Canonicus, Beza Prior, & ita ceteri. Credibile est, dum se Cœnobiticæ vitæ dederent, animo sincero se mundi vanitatibus abdicasse, & ita viuentes membra S. Ecclesiæ exstitisse. sed sensim sensu abducti, cùm priùs membra essent (prô

dolor!)

dolor!) in phlegmata versi sunt, & exitialem profluentiam humorum, qui stomachum afficere solent. & cùm sordium locus non sit ventriculus, cui à natura inest salubrium ciborum appetentia, qui minimum habeant retrimentorum, succi plurimum, quique faciliùs sanguinē colligere possint: ipsi tandem velut quædam fœda colluuies per posticam cloacam effluxêre; hic scorto, ille furto, alius aliis criminibus fœdus. aut sunt sanè, quod pituitosis ac redundantibus vsu venit, tamquam perniciosa phlegmata & abundantes pituitæ, supernè à congressu Sanctorum velut vomitu Religionis nauseantis exsputi, vt loquitur Sidonius. Ita D. Ioannes, *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis*. (1. Ioan. 2) Hoc ait: Dum nobis adessent, non erant inter membra collecti, sed versi in superuacaneas sordes valetudinem opprimētes, & quibus eiectis leuati sumus, eáque leuatione speramus adepturos sanitatem. Fœdi humores ita euomiti & exsputi varia effecêre volutabra & sterquilinia, & sicuti in sentinam, ex omni vitiorum fece & colluuione confluxêre, quæ intolerabili fœtore multarum Regionum salubritatem infecêre. Hæ sunt quas dico Sectæ à nobis abscissæ & eiectæ, ipsis pardis lyncibúsq; magis discolores, seductrices & infectrices animarum, inter se deuinctæ caudis, vt angues Medusæ in vno eodémque scuto, sed assiduè variantibus voluminibus ac spiris dissidentes, altera alteram Hæreseos veneno conspuens,

& linguis sibilantibus (adeò inter eos viget ἐριστική) dirissimè infestans : vt omnino sicut ab Hæresum sepultarum quasi cineribus Hæreses oriri ac reuiuiscere; ita illæ denuo ab iisdem confici & in cinerem fauillámque redigi soleant; ac verbo dicam, Secta Sectam secet, Hæresisq. Hæresi perimatur. De his in Apologia nostra ex eorúmmet libris luculenter.

Alia deinde ratio cur *Sectæ* nuncupentur: quia videlicet à Catholica doctrina, & ab Apostolica fide particulas abscindunt, eligentes si quid palato arriserit: si quid non intelligant, vel minùs ad gustum (vt Terentiana illa meretrix in cœna pitissans dicénsque, Asperum, pater, hoc est; aliud lenius sodes vide) fastidiosè repudiantes. Ex septem Sacramentis duo sibi absciderunt, reliquis quinque valere iussis. In Sacramento Baptismi retinuere aquam puram, ceteras ab Apostolis haustas cærimonias effundentes. In Sacramēto Altaris, tamquam inutile rescidêre corpus Christi, item sacrificium Missæ aliósque ritus merè Diuinos eodem pertinentes, sibi nihil aliud alimoniæ cibive retinentes, præterquam frustum panis (vt fungi fungos edant, siniilésque habeant labra lactucas) & haustum vini vel hordeaceæ potionis. Nam suas Cœnas hi Cœnatores licitè, ac nulla religione prohibiti, instituere possunt omni genere potus, ex Bezæ doctrina, qui ipsis Papæ loco. Ac iure id quidem. quid enim refert quo iure illa offa Cerberea maceretur? Scita verò Patrū ac vtrúmque

que Teſtamentum (nam *Nec fideles habiti ſunt* *Pſal. 77.*
n Teſtamento eius) nouis aſſiduè codicillis ſine *n. 37.*
ideicommiſſo permutantes, crudeliſſimè la-
iant. diceres membra ſecti Pelopis. ab ea
leſcindunt atque reijciunt libros qui ſibi non
onducunt. credas Penthea vel Deïphobum
acerum crudeliter ora, ora manúſque am-
bas. Ita hi Diuinum illud pulcherrimúmque
acrarum litterarum corpus impiis vnguibus
lentibúſque, ceu canes Actæonij, diſtrahunt
niſeréque conſcindunt. Videntur ingreſſi
cholas Iuriſconſultorum. abrogant, dero- *Vlpian.*
ant, ſubrogant, obrogántque. Sacra pallia,
ela, veſtis ſcapularis, menologium, horo-
ógiom, liturgicon, libri rituales, & reliqua
d genus, neceſſe tamquam Papalis ſuperſti-
io abſcindantur, vnà cum Quadrageſima,
iebus Rogationū, quatuor (vt vocant) Tem-
oribus & Vigiliis, Bacchanalia tamen bis
otiùs intercalando, quæ tamquam carni non
nutilia Genio litantes deuoti colunt.

Ab hac electione ſegmentorum à Græ-
is dicuntur Αἱρετικοί, id eſt *Electores*. At nos
Catholici neſcimus particulas, neque eli-
imus quidquam nôſtro arbitratu; ſed piè
c reuerenter admittimus & conſtanter re-
inemus, quidquid nobis Eccleſia ſancta pro-
onit, quod agnoſcit à Chriſto manâſſe, &
ntiquitus ab Apoſtolis accepiſſe, qui eam-
em Doctrinam, quam nos Catholici reti-
emus, ſuos diſcipulos ſumma cura & fide
ocuêre, qui deinde ſuis quoque minoribus

eamdem tradidêre, vt ita tot ſeculorum locorúmque ſpaciis ad nos vſque perpetua quadam διαδοχῇ, ac ſerie nuſquam inſiſtente peruenerit, vt demonſtrari non poſſit, quo vmquam loco vel ſeculo, vel quo nouatore, vel etiam ſucceſſione interciſa, mutatio aliqua ſit conſecuta. Atque ita quidem ſumus *Catholici*, id eſt Oecumenici ſeu Vniuerſales: Caluiniſtæ ceterique omnes Hæretici *Sectariorum* nomen obtinuêre.

CAPVT SEPTIMVM.

An Ieſuitæ ſint crudeles?

DVAE deinceps mihi propoſitæ ſunt Quæſtiones, quarum, ſi vobis volentibus eſt, penes Lectorem erit deciſio. Primùm quæri oportet, Num Ieſuitæ ſint ſicarij, parricidæ & crudeles? Ita volunt Caluiniſtę; quòd, inquiunt, nihil moliantur, quàm iugulare Principes & Dynaſtas; vt Regem Galliæ, ſummam Principem Angliæ, Comitem Mauritium, vt liquet ex hac ſentẽtia Petri Panne, aliiſq. libellis typo diuulgatis. Ieſuitæ negant eſſe. Atque ad Regem Chriſtianiſſimum quod attinet; relegant Lectorem ad inſigne ſolidiſſimúmque Reſponſum Franciſci Montani, quo librum Arnaldi mendacis Aduocati malitioſè confictum in Ieſuitas refutat præclarè, qui

qui liber breui noſtrâ quoque linguâ lucem aſpiciet. De Regina Angliæ aiunt eſſe omnia Caluiniſtica ſomnia ementita in Ieſuitas, eáq. ita ſtupida & inepta, vt operæ pretium non cenſuerint refellere: partim, quòd hæ fabulæ ipſæ ſe conficiunt & damnant: partim, quòd in omnes, qui huc vſque in Anglia ob Catholicã fidem interfecti ſunt, alia non ſit lata ſententia, quàm dictos fuiſſe ſanguinarios proditores. Scitur quam ob cauſam Catholici ibi à Caluiniſtis ad mortem rapi ſoleant. Quiſquis vllas Sanctorum Reliquias, cereos Diuini Agni orbiculos, Deiparæ Virginis numiſmata, Roſaria, vel aliud quidpiam à Pontifice Romano conſecratum circumfert; legibus luit. ita Dracones hi non atramento, ſed ſanguine leges ſcribunt. Pluris ſiquidem faciunt baculum Epicteti, cucurbitam Hippiæ, & follem Epimenidis, quàm dentem Pauli, Sedem Petri, Orbis Heroum. Certè Reliquiis omnibus anteponũt pugionem & chirothecas Caluini; vt alij cantharum, vel paropſidem oſſariam, aut caligas Lutheri. Quiſquis verò ſacra vlla Eccleſiæ pignora poſſederit, damnatur nigro calculo. Si quis inuenitur peccata ſua Sacerdoti confeſſus eſſe; vel ſumſiſſe cœleſte ferculum Euchariſtiæ, vel aliud vllum Sacramentum percepiſſe; iniiciunt manum, ſubitóque audit, *Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Qui Sacerdos ſit, vel aliquẽ Sacerdotem tecto exceperit, vel vitæ neceſſaria obtulerit, vel intra limites ditionis non prodiderit,

 Dede

Dede neci. Is subitò tamquam proditor comprehenditur, vt qui exitium machinetur Reginæ, non quia talis sit, sed quòd Caluinistæ Catholicos omnes Sacerdotes, & potissimùm Iesuitas, oderint ac timeant; certò scientes per hos id agi, vt populus Anglicanus à Satanico Caluinismo prorsus abhorreat. Itaque hoc vnum student, vt eos ex Anglia tamquam sanguinarios proditores eliminent, vt qui se rebus Status, vt aiunt, vel Politiæ immisceant, mortem Reginæ intentent, & quidquid possunt in eos confingunt & machinantur. His non dissimiles Hollandi, qui non ita pridem comprehendêre Sacerdotem, quòd sacris operaretur. Ad Comitem Mauritium quod attinet, respondent Iesuitæ caussam esse cur ei longam vitam optent, eámque promoueant (vti & vouent) non autem occasionem è medio auferendi. Primùm, de ipsis bene meritus est. nam anno CIↃ. IↃ. XCII. capta Steévvicha, est ab Anglis quidam Iesuita Comiti oblatus, Henricus Sammerius Lucemburgensis, vir senex & indefessus, quem de multis magnisque facinoribus accusabant, & nominatim, quasi is Reginæ insidias comparasset. Ipsúsmet Mauritius Comes hæc aliáque percontans, & insontem videns, accepit virum benignè: nec modò abire liberum passus est; sed quidquid bono seni ablatum erat, beneuolè reddi. Quam ob caussam multum sibi Henricus de illo gratulatur, & tamquam de egregio Principe

pleno

pleno humanitatis præclara commemorat. Deinde, quia hoc defuncto; timent huius humanitati dissimilem, quem alterum Consistoriales etiam modò promotum vellent, si possent Comite Mauritio liberari. Nam (vt accepimus hîc à quodam Magistro Leydensi) Comes Mauritius est ipsis nimiùm suauis ac clementis ingenij, pro indole Caluinistarum. lętarentur in sinu è medio sublatum. nam habent præ manibus alium crudelem, & humani sanguinis auidum, qui in Papistas omnes, & potissimùm Iesuitas, aliter longè debaccharetur. Ideo quidquid in hac Sententia euulgant, quasi de iniuria Comiti facta mœsti ac lamentantes; non prouenit id, vt accepimus, ex amore personæ, sed ex odio & metu Iesuitarum. Interitum Comitis dolori sibi esse fingunt, & lacrymas fundere, cùm tamen animis gestiant, perindéque affecti sint, qualis est cœli facies interdum, cùm & Sol lucet, & tamen pluit. Hæc Iesuitarum est Responsio ad accusationem Caluinistarum.

Iam audi rationes, quibus doceant quàm hostibus quoque suis bene velint, eósque beneficiis officiísque deuinciant. Circa annum ∞. IↃ. XCII. erant Hispali in Hispania Angli sexaginta, in triremibus cum aliis mancipiis ferro vincti. Id audiens Robertus Personius, Societatis IESV Sacerdos nationis Anglicanæ, modò Rector Collegij Anglorum Romæ, adiit Regiarum triremiū Præfectum

D. Martinum de Padiglia Adelantado Castellæ, & impetrauit missionem ac libertatem captiuis hisce sexaginta: immo in eius gratiam extruxit ijsdem idem Præfectus splendidum epulum, ipsemet mensę ministrans, & sub finem epuli cùm poscerent maioribus poculis, sumto cyatho propinauit omnibus Libertatem. Robertus obiens ciues Hispalenses curauit singulis nouam vestem. Hoc anno ClƆ. IƆ. XCVIII. tertio Kal. Iunij, quod subijcio, recẽter Neapoli in Italia accidit, quò idem Robertus Roma venerat. Erant Angli tres & triginta capti, & triremi impositi, tam nautæ quàm Mercatores. id audiens Personius ingreditur item ad Comitem Oliuariensem, Proregem Neapolitanum, effecitque vt bona libertásq. redderetur. Has tum quoque prædictus Comes binas ex parte Regis litteras dedit: vnas ad D. Garciam de Toledo, triremibus Præfectum, hisce verbis:

CVM sint in Regiis triremibus subscripti epibatæ & populus ex naue Anglicana, quæ præteritis hisce mensibus ad portum huius Vrbis adpulsa est, quorum sunt nomina, Richardus Cousin, Nauarchus, Robertus Carle, Guihelmus Cringe, Nicolaus Simes, Richardus Cotton, Heribertus Cricby, Guilielmus VVolfort, Guilielmus Cricby, Robertus Brouvvne, Richardus Hopper, Ioannes Heydon, Ioannes Green, Guilielmus Ridge, Samuel Lee, Ioannes Pene, Georgius Leuoraede, Timotheus Martin, Guilielmus Brouvvne, Ioannes Storme, Ioannes Covvin, Richardus Cholmeley, Ioannes Foster,

Foster, Pater Paschalis, Guilielmus Fochy, Edoardus Stilles, Audoenus Hose, Arthurus Vincente, Guilielmus Perri, Ioannes Pyke, Ioannes Folter, Thomas Schotte, Guilielmus Bratly, Thomas Stoe, Edoardus Chertons & cùm noster Robertus Personius Societatis IESV *petierit hos donari libertate: annuimus, manúque mittimus dictos nautas gentemq. nauis Anglicanæ. Proinde mandamus tibi vt eos triremi, qua nunc detinentur, exsoluas, reddásque eosdem pristinæ libertati. Datæ in Aula Regia, Prid. Non. Iunij,* CIↃ. IↃ XCVIII.

Subtus scribebatur

El Conte de Oliuare.

ALTERAS dedit ad Præsidem Valcacer della Camera in hæc verba: *Quandoquidem P. Roberti Personij interuentu liberos esse iussimus nautas populúmque nauis Anglicanæ, qui hisce mensibus antegreßis portum huius Vrbis subijt: rogauit P. Personius vt pecunias, merces, ceteráque omnia naue aduecta iam diuendita placeat reddi. Placet. Ideóque mandamus, vt his acceptis, nautis reliquisque euestigio iubeas ablata restitui. In id absolutam tibi largimur potestatem. Datæ Neapoli, Prid. Non. Iunij.* CIↃ. IↃ. XCVIII.

Subscripserat

El Conte de Oliuare.

Multa prætcrea nautica turba vectoréſque & mercatores Angli in Hiſpania detenti, omni ſuo infortunio liberati ſunt auxilio eiuſdem Perſonij, & duorum aliorum Anglorum Sacerdotum noſtræ Societatis, qui etiámnum in Hiſpania degunt, Ioſephi Creſvvelli & Caroli Tancredi. Nemini non nautarum ac mercatorum iſta innotuêre, quibus paſſim Societatis IESV in ore benignitas. Fidem faciet quod ſubiungo. Dum anno CIↃ. IↃ. XCVII. ſub finem Quadrageſimæ, duæ onerariæ ad portum Centumcellenſem ſeu Forçellenſem, vulgò *Citta Vecchia*, in Tuſcia ſtarent in ancoris, venit idem Perſonius ex Hiſpania cum duobus Illuſtriſſimis Cardinalibus Auila & Iuarra. Angli dictæ nauis moniti Perſonium adeſſe Cardinalibus, omnia ſubitò bellica tormenta diſplodunt. mercatores cum epibatis adeunt, aduentum gratulati. memorant officia toties iam mercatoribus Anglis nautíſque præſtita in Hiſpania, ſéque eius aduentu vehementer eſſe exhilaratos, ſuo aliorúmque nomine, in quos ea beneficia manâſſent, habere gratias immortales; fatentes præterea læta diſploſione tormentorum omnes animi gaudium declaraſſe. denique rogantes vt prandio ſibi præparato adeſſe vellet.

Anno Domini M. D. LXXXIII. erat Brouagiæ Ieſuita, qui ad Catholicos è ſuperiore loco verba faceret. Hunc Caluiniſtæ Miniſtri, Diaconi, & Superintendentes (hæc ſiquidem

apud

apud eos dignitatum nomina) nequiter in sua Synagoga crudelitérque exceperant, quòd mendaciorum, quæ Minister pro concione effuderat, testis esset, qui assereret scilicet nullum in nostro sacrificio Missę verbum esse è Scriptura depromtum, Iesuita id negante, quandoquidem *Pater noster* siue Oratio Dominica in ea quotidie diceretur. Audiens Gubernator Dominus S. Lucæ vim Iesuitæ factam, decreuerat Synagogistis manus inijcere & concastigare pro meritis: præsertim quòd Prædicans infamis esset & falsarius, cuius dextera ob crimen falsitatis Rennæ in minore Britannia esset amputata. Sed Iesuita periculum vinculorũ pœnarúmque remouit.

Anno M. D. LXXXV. erat idem Iesuita captus Iculismæ seu Angolismæ, & retro præsessorem equo insidens, ceteris in denso atque auio nemore palabundis. præsessor equo decidit, Iesuita lapsum illico attollit: & tametsi hominis pugio esset ad manum; manus tamen à ferro, pedésque à fuga continuit. Vide quàm hi studeant etiam homines efferos officiis permulcere.

Sub idem tempus Anglus quidam de Valsingano Geneua submissus est Romam explorator, qui cognosceret Collegij Anglicani domesticos & institutum. Detecta res est Iesuitis. Hominem nequaquam detulêre, sed amicè abire permittentes viaticum etiam huic beneficio addidêre, bonum pro malo reddentes.

Anno

Anno M. D. LXXII. Dum Catholici multos in Gallia Caluiniſtas necarent iuſſu Regis (quos ille cognôrat de ſua ceterorúmq. Catholicorum cæde cogitaſſe) idq. certo die quem præfinierat; Ieſuitæ plurimos Lutetiæ, Lugduni, aliíſque in locis huic ſtragi ſubtraxêre. Modò ſtatuat Lector, ſintne Ieſuitæ cruenti & crudeles, ac non potiùs capitalibus quoque ſuis hoſtibus humani atque benefici.

CAPVT OCTAVVM.

An Caluiniſtæ ſint ſanguinarij?

ALTERA Quæſtio hæc eſt, An Caluiniſtæ ſint ſanguinarij? negant. Nam quidquid damni vel iniuriæ pœnarúmve Papiſtis (vt vocant) adferant, ſeu laminis vſtulent, ſeu vngulis carpant, ſeu membra ſuffringant, ſeu quouis alius ſupplicij genere miſeros lacerent perimántque: non æſtimant id pluris, qua ſunt Reformata clementia, quàm ſi gallum Indicum vel anſerem iugulent. Sed Catholici aiunt eſſe, ac lacrymis gemitúque lamentantur immanitatem Caluiniſtarum, qualis poſt Ethnicos tyrannos ad id tempus numquam legitur in Eccleſia fuiſſe, idque quatuor potiſſimùm modis.

Primùm, in multitudine cædium, quæ ab ipſis ſuſceptæ vel attentatæ. In ſola Gallia ſex

hominum

hominum millia tam Sacerdotum quàm Religiosorum, præter innumeros Catholicos, diuersis suppliciis absumsêre. Hos autem tollunt, quia, inquiũt, *Mortui non mordent*. Nemausi in Gallia Narbonensi, amplum profundúmq. puteum Sacerdotibus & Catholicis bis oppleuerunt, quos viuos in præceps datos aquis suffocabant. Tripudiabant tum gaudio vti Annibal, qui dum fossam sanguine humano plenam vidisset, *O formosum* (ait) *spectaculum!* Heu quot ibi tum piorum vitis Hæresi litabatur! Cùm grauis esset odor cadauerum suffocatorum: respondebant illud Vitellij, *Optimè olere occisum hostem*. Omnes Montbrisonij Sacerdotes & Catholicos, qui ad turrim confugerant, in gladios & hastas militum infernè stãtium, ab alto velut de rupe Tarpeia deiecerunt, deteriores Caligula Imp. multos, structo ponte Puteolano, in mollius elementum præcipitante. Ruremondæ oppido Geldriæ octo Carthusianos, occidêre & alios cùm Sacerdotes, tum Cœnobitas, numero sex & viginti. Caluinistæ verè hirudines sanguinis Christiani. Brielæ Hollandiæ vndetriginta Minoritas in horreo crucibus suffixêre, quos ad supplicium cantantes ritu supplicationem obeuntium compulerant. Quàm infinitos credis in Anglia interemptos ceu perduelles? Quid sibi voluit Anno M. D. LXVI. Caluinisticum hoc symbolum, *Bona mercatorum, & sanguis Sacerdotum?* Et alterum illud plenum arrogãtiæ Antuerpiæ dictum, *Non ibunt res, priusquam è Mera* Plut.

(in ea

(in ea Vrbe nomen loci eſt) *vaccam caudâ raptam iácere liceat in Heluetiam*. Sitiebant ſcilicet interitum omnium Eccleſiaſticorum, & ſupremum funus ac cõmune buſtum Nobilitatis. Quem in finẽ quoque antiqua Virorum Illuſtrium ſepulcra ſarcophagis, & hos æneis laminis nudarunt, vt memoria patriæ Nobilitatis funditus deleretur. Credo, ſi Chriſtiano populo foret vna ceruix, quod in Romanis optabat Caligula, attentarent illud, *Vno ictu*.

Deinde eminent Caluiniſtæ, tamquam ſilice nati, in magnitudine & inaudita nouitate crudelium tormentorum. Engoliſmæ Sacerdoti cuidam Colino Guillebault hi Chamitæ non veriti verenda detegere, immo crudeliſſimè præſcindere, ac deinde hominem perforata arca incluſum feruente oleo perfundere, quo ille ſuffocatus & exuſtus eſt. Alteri cuidam Sacerdoti quæſitiſſimis ſuppliciis ventrem ferro aperuerunt, vitalia perſerentes auena, quam iuſſerunt à mulo comedi, qui ita ſimul inteſtina depaſcens diſtrahénſque, miſero Sacerdoti diriſſimos cruciatus afferret. Quãtam vim mali pius ac ſanctus martyr Cornelius Muſius in Hollandia tulerit, quàm fuit aſpectu dirum, tam eſt horribile memoratu. Obligarunt eum manibus ad ſcalarum gradus, pedibus grauiſſimũ pondus appenderunt, ardentes faces axillis ſubiecerunt. Nondum id ad acerbitatem doloris erat ſatis. ſupinum reclinarunt, & aqua per infundibulum abundanter infuſa ventrem opplêrunt. qui dum

dum plenus eſſet ac tumidus; horribiliter fuſtibus pulſauêre, vt denuo aquam per os alióſque meatus eijcerent. Deinde crudis funibus pedum pollices adſtrictum, capite deorſum ſuſpenderunt. cutis autem & caro digitorum funibus his attrita eſt, corpore in terram delabente. Poſtremò digitos manuum pedúmque amputarunt, ita demum (vt olim à populo corpus per vias vnco tractum in ſcalas Gemonias) hi Leydam per niues & ſtratas ſilicibus vias raptatum gabalo affixêre. Quínam hi Phalarides & Nerones, immo liceat dicere illis Neroniores? Legimus ſiquidem Neronem ſubtraxiſſe oculos; iuſſiſſe ſcelera, non ſpectaſſe. Nam humanus animus etiam quos malo dignos eſſe nouit, cùm plectendi ducuntur, miſeratio quædam capere ſolet. Audi porrò clementiam Caluiniſtarum, quæque hominibus ab homine (ſi tamen is homo) imperetur immanitas. In Hollandia Scagæ Magiſtrum Ioannem, Hieronymi filium, cum multis aliis Catholicis Horna profectis nudos ventribus ſupinos collocarunt, quibus inuerſam æneam peluim incluſis ſoricibus & muribus impoſuêre. ſuper pelui foculum faciebāt, quem ignem cùm animalia incluſa non ferrent; ventrem effoderunt, & in corpus ipſum horribiliſſimè ſubiêre, æternū apud poſteros ſæuitiæ monimētum. Quid dicam de minutis animalculis, quæ ab ipſis intra cutem carnémque immiſſa (vt talpæ per terram viui repunt) intercutanea ſuffoſſione corpus omne Tacit.

crudeli-

crudeliter permeabant? Hæc noſtrorum temporum inuenta, vt ſciamus non ſolos Domitianos ſæuiiſſe: & quamuis ætas noſtra Tiberios, Caligulas, Nerones non habeat; tamen non deeſſe. Ac illud poteſt ſileri? Haud procul Ipris Flandrorum, defoderunt Sacerdotes in terram ceruice tenus, & globos ad exſtantia humo capita rotatu iecêre. At hoc quàm dirum! Nobilis & ſancta martyr Margareta Midleton eſt in Anglia à Caluiniſtis aſſeri ſubiecta, multiſq. grauibus metallorum maſſis impoſitis, anima dira ponderum compreſſione corporéque obtrito extorta. Vides piaculares victimas atrocium Miniſtrorum Suadeo cum Tiberio erigant *Aram Vltionis*. Heu! omnia antiquæ crudelitatis exempla ab his obſcurata ſunt. Alia de hac ſæuitia in ſuo opere Richardus Verſtegenius. non ſunt hæ fabulæ, vellem eſſe. mitiùs doleremus.

Tertiò, Caluiniſtæ peculiares ſunt in modo iudicandi. Illorum Tribunal plerumque eſt ſine vlla forma Iudicij, Caluiniſtica rabie rationem opprimente, vt omnibus prædictis horribilibus martyrum homicidiis vſu venit. Videntur aliquando neſcio quam adumbrare imaginem ſtricti Iuris ſiue Iudicij, ſed vafram valde ac verſipellem. non enim quærunt cognoſcere Veritatem; ſed quidpiam extorquere quo videātur Catholici non iniuria puniri. Quos, quæſo, Iure dicundo non effingunt modos hi noui Iuris repertores, & capitales Triumuiri, vt plebs id credat? Ad hæc comprehen-

prehendunt ſubinde ſeruos, quos tormentis interrogant, eóſque promiſſis & minis eò adducunt, vt aliquid de Dominis ſeu verum ſeu falſum deponant, decreti huius immemores, *De ſeruo in Dominum ne tormentis quidem quæri liceat*. Anno M. D. LXXXI. dum Sanctus Martyr Edmundus Campianus Societ. IESV in Prætorio ſtaret Londini, in aula vulgò dicta VVeſtmunſter, cum aliis vndenis Sacerdotibus; accuſantur, quodam die omnes ſimul Romæ de morte Reginæ conſilium agitaſſe. Negatum conſtanter. Multi ſiquidem ex iis numquam viderant Romam. Sed opprimebantur teſtium ſubornatorum falſitate, quos è plebeculæ quiſquiliis eò illi conduxerant. Mos olim Romanis falſos teſtes de ſaxo Tarpeio deijci. Hi homines proiectos attollunt & conducunt. Attamen quidam adſtantium, tantám perfidiam non ferens, in hæc verba erupit: Audite Iudices. certus ſum inſincerum hoc eſſe teſtimonium de omnibus his qui adſtant tribunali. nam ille (nominabat ſuo nomine) eo die hîc Londini erat domi meæ, qui falſo teſtimonio arguitur fuiſſe Romæ. Tum Dictatores illi pudore ſuffuſi nominatum iuſſêre eſſe liberum: ſed parcebāt falſis teſtibus, nolentes ſuſpicari alterum teſtimonium falſum quoque eſſe poſſe, quod planè erat, vt multi ex ciuibus Iudicio præſentes certis indiciis cognôrant, quibus tamen Caluiniſticæ tyrannidis rabies ac timor vocem omnem intercludebat. Ita ſubinde liberos homines ti-

E mor

mor impedit liberè loqui. Atque hoc quidem modo ſunt illi ſancti Sacerdotes omnes morti addicti, & martyrio affecti; quod in eodem Regno centenis aliis Sacerdotibus pluribúſq. accuſatione falſa circumuentis ſcimus contigiſſe, vt verè *Tribunal Hæreticorum ſit ſcopulus reorum*. Modò vide, an Catholicorum Inquiſitio, quam Caluiniſtæ ita ponderant & deprimunt, aliquo modo cum inquiſitione & tyrannide Caluiniſtarum, quæ eſt ſine vllo moderationis temperamento, conferri poſſit. Numquam ſubtiliores technas, numquam magis doloſa Tribunalia, numquam crudeliores Phalariſmos vidit Sol. Quid ad hæc habet ſeueritas Iudicum in Annam de Houte, quæ fuit extra Vrbem Bruxellenſem rure ſuburbano defoſſa, de qua noſtri Bataui Miniſtri tantum fœtoris excitant, vt vinctis ſolutíſq. Satyris, adiunctis plenis ſcommate figuris, aliud nihil occinant, quàm ſæuitiam Papiſtarum, immemores tot à ſe Sacerdotes viuos videntéſque defoſſos? Erat Anna Hæretica, immo Anabaptiſticæ diſciplinæ, & contra fœdus dominam ſuam in Hæreſim pellexerat. Iudicium eius fuit diuturnum. tandem cùm perfidia animum omnino obfirmaſſet; ſecundùm antiquas Cæſareas Leges & Iura, maturo conſilio eſt ablata, immo illata terræ, ac glebis obruta. Noſtri Hollandici Miniſtri putant fuiſſe quoque Caluiniſticam, ac proinde culpam nullam peccati potuiſſe cõtrahere, nihilque debuiſſe Iudicibus.

Demum,

Demum, quòd Caluinistæ Reformato suo zelo nulli parcant. Quidquid aduersatur, vel quoquo modo eorum furorem lenit vel impedit, student tollere. Quomodo Regem Galliæ Carolum, eo nomine nonum, anno M. D. LXIII. pæne ceperint ac necarint, fusiùs explicat nostra Apologia. Adiunxi ibidem verba Bezæ Geneuensis Protosynagogistæ, quæ cuidam Nobili viro (tum Caluiniano, pòst impiam Hæresim exsecranti ac piè defuncto) ex cuius ea ore accepi, in aurem dixit: ἐνὶ λόγῳ · ὄλωλα. *Actum*, inquit, *agimus, nisi scropha cum tota nefrendium sobole necetur*. in hoc alius ab Alexandro, cuius vox, *Odi holitorem, qui holera radicitus exscindit*. Sed nimirum Caluinistæ vitem incidi volunt, vt pereat aut semper ploret. Reginam matrem cum omnibus filiis intellectam voluit. Constat sanè Caluinistas omnes etiam vias tentasse, vt Catholicum nostrum Hispaniæ Regem mors venenis properata abriperet, quibus Cruces, quas consueta ille pietate oscularetur, perunxerunt; Liuiam imitati, quæ ficus adhuc in arbore pendentes, quarum esu oblectabatur Augustus, veneno legitur obleuisse. Verisimile est ab iis aliquid etiam aduersus Comitem Mauritium strui, tametsi verbis versibúsque eum fictè extollant. Audiendi non sunt hi subdoli assentatores, qui auditoribus adulati, Pseudolum agunt, scenam hypocriticis velis inumbrantes. Sunt locustæ (de quibus Diuus Ioannes in Apocalypsi) *Apoc. 9.*

primo acceſſu pulcræ, faciem mulieris præ-ferentes; ſed retrò criſpantes caudam ſcorpionis, quæ, dum minimùm aduertas, dirè pungit. Omnino aſſeruntur, vt dixi, oculis deſignaſſe tyrannum, eúmque longè ſæuiſſimum, quem in locum Comitis Mauritij moliuntur euehere. modus ſolùm quæritur verſutè ac ſubtiliter inferendi? Hinc Sententiam confingunt de Petro Panne, ac ſæuo facinore Ieſuitarum, ne qua de ipſis ſuſpicio reſideat, dum ludum ſuum ludant; ſed ſanguinariis Ieſuitis ea cædes obijci poſſit, vt qui antea de eadem fuerint accuſati. O vafre nequitérque ſubtiles, ope prudentiæ Reformatæ!

Hactenus de cædibus quas Caluiniſtæ in Chriſtianis communiter fecerunt. non erat ſatis Ieſuitas communi imbre perplui; peculiaris etiam fuit ſubeunda grando ac tēpeſtas.

Volens viuos prætereo, qui IESV Chriſti ſtigmata, id eſt, & ſuæ in tuenda fide Romana Conſtantiæ, & Caluiniſticæ Immanitatis etiámnum circumferunt in corpore cicatrices. In Anglia & Hybernia ſunt plurimi trucidati, preter eos quos carcer longo ſqualore confecit. In Gallia inter alios, duo in oppidulo Viuarienſis Prouinciæ, Iacobus Sales, & Guilielmus Saltamoche, ∞. IↃ. XCIII. ſept. Non. Februarij, dum Miniſtros Caluiniſtas ſacra diſputatione reuincerent, & ora blaſphema obſtruerent, ſunt ab illis in foro confoſſi, & nudi per ſtrata Vrbis funibus immaniſſimè

manifſimè raptati. Dum anno M. D. LXX. Ignatius de Azeuedo Ieſuita, aliique eiuſdem Societatis ſocij duodequadraginta Braſiliam nauigarent, vt Ethnicos more inſtitutóque Ieſuitarum ad fidem adducerent; belluoſum tumultuosúmque Oceanum ſunt experti mitiorem, quàm Caluiniſtas, in quorum manus inciderant, qui eos crudeliter mucronibus pungebant ac mutilabant, his cum ipſis ſpatulis humeros, illis cum femore tibias diſcindentes, ac horribili furore alto mandantes, vbi martyriũ ſuum morte finiêre, gladio eos à Charitate Dei ſeparare nequeunte. Ignatius ſtringebat vlnis Caſtiſſimæ Virginis Mariæ imaginem, quam morieñti eripere non valuêre; ſed cum ea delapſus in pelagus, vt Deiparę Matri arctiſſima pietate viuus iungebatur, ita ſupremo die nec rabie hominum vel elementorum diuelli potuit. Anno M. D. LXXI. deſtinabatur Petrus Dias Ieſuita Braſiliam, cum aliis tredecim ſociis, vt ibi fidem Chriſtianam inter Ethnicos dilatarẽt. Tranſita in mari inſula Tertia, ſunt à Caluiniſtis capti, in aquam proiecti, omnéſque demerſione martyrij decus adepti, duobus demtis, qui natatu euasêre, atque ab aliis in naues admiſſi ſunt. Cõmemorat id Io. Petrus Maffeius in ſua illa Illuſtri rerum Indicarum Hiſtoria, & Petrus Ribadeneira, ſapientiſſ. diſertiſſimúſque ſummorum Patrum Viographus, in Franciſci Borgiæ Ducis Gandiæ, Generalis quondam Societatis I E S V, Vita Hiſpanicè

 conſcripta,

conſcripta, quam deinde rei litterariæ ſtudioſiſſimus Latinam fecit è Societate noſtra Andreas Schottus; nuper verò Gallicam Reuerendiſſ. D. Michael D'Eſne, D. de Bettencourt, Epiſcopus Tornacenſis, elegantiſſimus Interpres. Ex his omnibus dictis factiſque, permittatur imperturbato Lectori iudicium, ſintne Caluiniſtæ ſæui & ſanguinarij necne; atque an morem Apoſtolorum ſequantur, an verò ingenium Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Copronymianorum, Turcarum, aliorúmque crudelium Hæreticorum, tyrannorum ac barbarorum, quos ſæuitia pauit & ſanguis humanus.

CAPVT NONVM.

Comparatio Caluiniſtarum & Ieſuitarum circa vtrorúmque Doctrinam.

QVANDOQVIDEM fixum Caluiniſtis, Ieſuitas Sectam eſſe, & viciſſim negare nequeunt, quin ipſi quoque Sectam ſeparatam efficiant, iuniorem multò & recentiorem in Belgio, quàm ſit Ieſuitarum, qui pæne iam annos ſexaginta Louanij domicilium habuêre; & Caluiniſtæ vix quadraginta annos hîc noti ſint: viſum eſt operæ pretium, certis rationum momentis æſtimare,

vtra

vtra harum duarum Sectarum alteri virtute præponderet. Non erit hoc inutile vtrique Sectæ internoſcendæ, vt ſibi quiſque à nequiore tamquam ſuſpecta & malæ fidei caueat. Docet Chriſtus arborem noſſe ex fructibus, hoc eſt, homines ex ſuis operibus. Duo operũ genera commendantur nobis in litteris ſacris; ſana Doctrina, & bona Opera. Ait enim Chriſtus, Diuinum eſſe opus in ipſum credere. Quod attinet ad primum opus Fidei, conuenit in eo Caluiniſtis cum Ieſuitis, quòd ad populum habeant conciones, & verba Bibliorum Auditoribus proponant: ſed in tribus valde diſſentiunt. *Matt. 7.* *Ioan. 6.*

Primùm, in eo quod pro concione proponunt. Ieſuitæ ſiquidem exponunt Diuinos libros, ex germana mente veterum Doctorum, veriti ab iis deflectere vel tranſuerſum vnguem. nihil adferunt noui: ſtudioſè & indefeſsè vacant ſcriptis Sanctorum Patrum Cypriani, Baſilij, Nazianzeni, Hieronymi, Auguſtini & aliorũ, vt ſciãt quomodo ab annis M. CC. eóque amplius Scriptura ſacra fuerit ab eis intellecta, vt eorum, non ſuo ſenſu ducantur in exponendo, citra omnem nouitatem. Nouitas ſiquidem ſuſpecta ſemper ſapientibus fuit. Si enim multus honos tribuitur Senectuti; quantus venerãdæ Antiquitati! Nam idem ſeruauêre prædicti Doctores, perueſtigantes libros Patrum, qui ante eorum tempora ſanctam Eccleſiam docendã regendámq. ſuſceperãt. Atque vt animum ſolidè ad

vetera referant, (memores illius quod Sacerdos Aegyptius Soloni dixiſſe fertur apud Platonem, *Semper pueros eſſe, qui Vetuſtatis notitia careant*) omni Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quam commendat Antiquitas, impensè operam nauant; quæ cùm ſit velut *Oculus temporum*, eo perſpiciunt quam fidem, quos ritus ac cærimonias diffuſi per omnes Orbis oras Chriſtiani ſeruarint; egerintne tunc vt modò Catholici, an verò vt Caluiniſtæ; num eo tempore Imagines Chriſti & Sanctorum honorârint, an hominum Beatorum patrocinia implorârint, vti in gratiam noſtri ſuas illi apud Deum preces interponant, an oblatum pro viuis & defunctis Sacrificium, an Sacerdotes matrimonia inierint, an ab Epiſcopis an à Laicis initiati, ac cetera iſtiuſmodi. Omnia hæc multis annis vbi didicerint, populum in antiqua fide & vſu ſalubribus præceptis inſtruunt atque corroborant, ne quid Doctrinæ veteris innouetur. quæ Nouitas ita exoſa ipſi Platoni, vt eam ne in Muſicorum quidem cantu tulerit; & Terpandrũ multarint Lacedæmonij, quòd citharæ fidibus neruulũ præterea vnum adiecisset. Si id illi in Citharœdorũ fidibus ferendum non cenſuerint; id nos ſcilicet in Chriſtianorum Fide perferemus? Sapienter enim
Heſiod. quidam, Νόμος δ' ὁ παλαιὸς ἄριςος. Caluiniſtæ ceu mundi Reformatores noua moliti contrà agunt. nihil apud eos integri & priſci moris. Ducuntur proprio ſenſu in Scripturis exponendis, non egent in tanta rerum caligine

veterum

veterum Interpretum lucerna. Tantum vident, qui etiam nihil vident. Nauci faciunt Doctores hominésque Sanctorum catalogo adſcriptos, vel antiquum vſum Eccleſiæ, ſed ſpreta antiquitate, cereo (quod dicitur) naſo ducunt quò libet: Lesbios architectos imitati, qui regulam plumbeã pro voto inflectunt. At perdifficile dixit eſſe Simonides, μάχεσθαι τῷ πολλῷ χρόνῳ, eáque concutere velle, quæ plurimorum ſeculorum firmat Auctoritas. exponunt Scripturam vt cẽſent ſibi prodeſſe, eam inconſtantiſſime interpretãtes. Crederes moueri motu Lunæ. Scopulos autem omnes in hoc grandi profundo Leuitatis ſcapha traijciunt: adferunt planè recẽtem Reformatámque Doctrinam, quam oſtendere non poſſunt vnquam iam inde ab Apoſtolis in vllis terris viguiſſe. Hæc tamen cerdonum ac fullonum ſomnia, ceu Orthodoxam diſciplinam imperitæ plebi conantur obtrudere, quæ, quid interſit, planè ignorat. Intereſt autem immane quantum. Nec docere poſſunt ex quibuſcumque Doctoribus vel Hiſtoricis, quomodo eorum Doctrina tam longè, id eſt ab aureo Apoſtolorum ſeculo, primùm ad Caluinum deuolârit. Id illi non ignorant; ideóq. omnes paſſim veteres Cœnobiorum Bibliothecas reformarunt, hoc eſt, diſcerpſerunt, vel inflammârunt, vt omnia Doctrinæ antiquæ veſtigia cineribus tegant, ſoláque viuat Caluiniſtica Nouitas, quam libenter per ignotas vias ab Apoſtolis ipſis ad nos adducerẽt. Sed quis eam

vmquam vidit aut audiuit? fortè similis est Templorũ bubonibus, qui noctu inuisi volant, lucémque deuitant. Itaque eorum Doctrina, Dóctrina bubonum, corúmque Euangelium dici potest Bubangelium.

Alterum in quo sunt à nobis alieni. Iesuitæ inter ceteros repleuerunt quasi Orbem terrarum cognitione Christi Seruatoris. Non enim sunt tantùm apud antiquos Christi fide imbutos Europæos; sed tot terras Oceanúmque prætervecti, in Indiam, Iaponiam, Chinam, Peru seu Auream Chersonesum, Mexicam, Brasiliam, & ad polum Antarcticum vsque delati, vbi multa millia Ethnicorum, immo integra Oppida atque Prouincias ad Christum laboriosè traducunt. Non ita pridem accepimus insignes è Iapone litteras datas mense Octob. ∞. Iↄ. XCV. & hoc anno excusas, Moguntiæ Latinè, de Christianæ rei in Iaponia statu, & de interemto Monarcha Quabacundono, quæ docent in Iaponia & China esse CXXCIX. Iesuitas; in Iaponia quidẽ CXXLIX. in China verò L. àc alios tam Catechistas, id est, qui Christianam Doctrinam populo exponunt, quàm Seminaristas qui in Collegiis aluntur, plures quàm D. CLX. Item, ibidem eodem anno M. D. XCV. plures tricies centenis millibus confessione se expiasse, & eodem anno vltra decem millia Ethnicorum Christo accessisse. Vide quid Iesuitę in illis Regionibus Religionis inscitiâ pereuntibus promouerint, vbi ante annos L. ne vnus fuit qui

Christum

Christum cognosceret. Constantinopoli quoque diu in Pera habitarũt; & in Syria Patriarchæ Antiocheno adfuerunt, & in Aegypto Patriarchæ Alexandrino: vbi tantum promouerunt, vt Patriarcha Antiochenus sine mora Prouinciale Concilium coëgerit, in quo vnus Archiepiscopus & XIIII. fuêre Episcopi, vbi Ioannes Brunus & Ioãnes Baptista Romanus, Societatis IESV Sacerdotes mihi noti, tamquam Pontificij Legati præsederunt, & sunt ab omnibus iis omni cum reuerentia accepti & auditi: ita vt Patriarcha ipsusmet Romam venerit, vt cum Pontifice de rebus suorum subditorum conferret, vbi eumdem conueni anno CIↃ. IↃ. XXCI. & admiranda in confirmationẽ nostrę Catholicę fidei eo narrantę didici. Patriarcha Alexandrinus Gabriel anno ∞. IↃ. XCIII. duos Legatos misit Romam, Iosephum & Abdelmessiam, vtrúmque Sacerdotem & S. Macarij Cœnobitam, submissè postulans cum S. D. N. & Ecclesia iungi, scribens ad eum perquam reuerenter hisce verbis: *Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, [illegible]tio decimo Apostolorum gloriosi Domini nostri* IESV *Christi, & quinto SS. Euangelistarum, Sancti Petri Apostoli Successori, Petræ Fidei super eius Cathedra in magna Roma sedenti, cui data est potestas ligandi & soluendi*, & quæ sequũtur. Qui quidem Legati posteaquam Romam venêre, nomine sui Patriarchæ, aliorúmq. inferioris subsellij Antistitum, edidêre professionẽ fidei quæ proponebatur, & sunt tamquã Catholici filij Ecclesiæ

Romanę benignè admissi, atque ita Christiani Aegypti & Aethiopiæ cum Ecclesia Romana sunt coniuncti. Scribit id Illustriss. Annalium Ecclesiasticorum Conditor & Cardinalis Baronius, sacræ Historiæ Princeps, qui tum aderat. Ex hoc licet animaduertere fraudem Hæreticorum Batauorum, qui nuper epistolam hac inscriptione ementiti sunt: *Miletius Dei misericordia Papa & Patriarcha Alexādrinus, &c. Constātinopoleos Præses, Ioanni Duzæ Nordouici, viro eruditissimo, mediocritatis nostræ filio dilecto, gratiam & misericordiam ac pacem à Domino Deo, Saluatoreq. nostro* IESV *Christo*. In Epistola agnoscit Papam Episcopum Romanum, sed non S. Ecclesiæ caput, vt ait Sanderum impiè dicere: Ecclesiámque non super Petrum, sed super Christum ædificatam esse, ex doctrina D. Augustini. En Caluinisticum figmentum. carpit Sanderum, citátque B. Augustinum, nullum autem Græcum. Item exclamat: *O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!* Non sic homo Græcus & Aegyptius vmquam exclamet. At vtentur omnes Latini in Caluinistas huius ipsius carminis Ecphonesi. Demum ita concludit: *Optimè valeas. In Constantinopoli, 10. Calend. Nouemb. mundi 7906. salutis 1597.* subscriptum, *Miletius Patriarcha*. Vide hunc Caluinistarum libellum fabulosum. tegunt asello caput, sed aures eminent. vellicemus. Conantur populo persuadere Papam Romanū non esse Christi Vicarium. Miseri & infelices Hæretici, quàm procul mendacia vestra accersitis, vt circum-

ueniatis plebem imperitam! quæ decernere non poteſt, Epiſtolam hanc numquam Græcè ſed Latinè ſcriptam, vt clarè conſtat; neque vmquã fuiſſe Conſtantinopoli neque Alexandriæ. Nam imperitus fictor numquam vidit ſtylum ſiue characterem & ſcribendi morem Patriarchæ Alexãdrini, neque formam tituli, inſcriptionis, ſubſcriptionis, & numeri annorũ cum nomine menſium; quibus in rebus fœdè hallucinatur. Nam Patriarchæ hoc vtuntur numero, quoti nimirum ipſi ſint; vt Gabriel erat XCVII. numerúmq. annorum ſumunt à martyribus, à tẽpore, inquam, Diocletiani tyranni Cæſaris, qui annus nunc eſt CIↃ. CCC. XIII. Ceterùm quid agunt Caluiniſtæ? deſident domi, vt Reformati Apoſtoli, more hæreticorũ: in pallio & crepidis ambulant. non illi terras mariáque traijciant, Turcis Ethnicíſve conuertendis. Sunt, quod olim dixit Imperator Conſtantinus, *tineæ & ſorices Palatij*: vel (vt nota illis ſimilitudine vtar) non diſſimiles vermibus caſeorum, qui pinguioribus quibuſque caſeis innaſci ſolent & inſidere. Non prorepunt hi in lignum, quod illis nimis torridum & durum eſt. Litteræ ſacræ aiunt de Dauide, fuiſſe *vt tenerum ligni vermiculum*; in ſe tenerum videlicet, amabilem, benignum; ſed qui durum retorridúmque lignum penetraret atque conficeret. Eiuſmodi ſunt Ieſuitæ, qui in omnes barbaras nationes irrepunt, & duros rigidóſq. Ethnicos ſuis ſermonibus & exemplo vitæ molliunt & conterunt, vt eis ad vo- 2.Reg.23. n. 8.

luntatem

luntatẽ Dei noua figura imprimi possit. siquidẽ Diuini Spiritus ea vis est, vt durissima quæque penetret. Non id quærũt Caluinistę. nec verò, si velint, sunt Ethnicis conuertendis idonei,
Epiphan. cùm Hęretici, grauissimo teste Epiphanio, sint Infidelibus peiores. χείρων enim ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας. nisi fortè Behemoth ad Deũ cõuertere possit Asmodæũ. Amant Reformatã quamdam rationem prædicandi, hoc est, vt verè loquar, pinguedinẽ, ocium, & pingues Hollandicos caseos. Lege Romuleia olim institutum Collegium Epulonum. in hoc hi degunt. Mollibus his & delicatis substernere decet culcitã plumeã, & puluinos rosæ ac violæ plenos. non sunt nati labori, sed otio. Et, ah! quomodo misellæ eorum vxorculæ teneris pedibus tam multa spatia emẽsæ, earũmq. proles eò pertingerent? quis offerret tanto itineri viaticum? quis eos ibidem aleret, ad discendum eorum Reformatum Euangeliũ? cõtingeret, scio, fame enectos mori. Nam Iesuitis loco viatici est Fiducia & Gratia Dei. nutriũtur ærumnis pro Christo sponte susceptis, cui & vitam impendunt non inuiti. Vita namque hæc perennem meditanti vilescit. nec tam multis egent pro se singuli, vitámq. ibi plerumque eleemosynis tolerant. Proinde sequuntur Caluinistæ optimum Reformatũ consiliũ, scilicet in pingui caseo hærere, vt eo ventres farciant atque
Isa. 55. v. 2. reforment, ipsísq. quadret illud Isaiæ; *Delectabitur in Crassitudine Anima vestra*. Sed nolo vẽtribus loqui, aures non habẽtibus, vt dixit Cato.

Tertiò,

Tertiò, à nobis Caluinistæ dissidẽt in modo prædicandi. Primùm enim, Iesuitæ non sponte eunt: sed Diuino instinctu & impulsu, hoc est, à suis legitimis Superioribus & speciatim à Summo Pontifice missi. Deinde, nullum cogunt ad amplectendam fidem, quam numquam habuerint. Tertiò, non vtuntur armis. Quartò, replent Cœnobia Virginibus & Religiosis, quæ vel Hæreticorum exhausit Impietas, vel essent cessura Vetustati. Postremò, confirmãt Doctrinam suam mirabilium operum testimoniis. Denique, irrigant regiones proprio sanguine. Ita sanè multi Iesuitæ sunt in India & Brasilia propter Fidem Catholicã trucidati, qui fuso sanguine innumerabiles homines Christo peperêre, more Patrum antiquorum & sanctæ Ecclesiæ, quæ Persecutione propagatur, & Martyriis sobolescit, vt verè dictum sit, τὸ αἷμα χριστιανῶν τὸ σπέρμα χριστιανῶν. *Sanguis Christianorum, semen Christianorum.* Quæ *Tertull.* miracula apud Indos ediderit S. Iesuita Franciscus Xauerius, extremo Orienti natus, clausásque Antiquitati terras Fidei claue aperiens, qui quacumque transiisset, legeres Sanctimoniæ impressa vestigia, perelegãti Vitæ eius Historia, ceu perenni monimento, Posteritati prodidit è Societ. IESV Horatius Tursellinus. Tres mortuos vitæ reddidit, multorum cæcitati lumen, ægris valetudinem, aliáque aliis prolixè impertiit. Vide é grano vnico bene subacto, quæ sterilibus etiam locis exstiterit seges. Virtute Aquæ benedictæ, Agnorum

Dei,

Dei, aliarúmve rerum sacrarum, quotidie patrantur res mirandæ, stupente Natura, vt in grauissima illa Indica Maffeij Historia leges, & nominatim in litteris quæ quotannis ex India summitti solent. Iste mos erat Apostolis virísque Apostolicis, qui tot olim Regiones ad Deum adiunxêre.

Caluinistæ ingrediuntur aliam viam Reformatam. I. Alacriter currunt non vocati, neque missi: immò inserunt se atque intrudunt à Cacodæmone immissi. nemo vmquam misit Caluinum. Qui ab eo & post eum missi sunt, non sunt legitimè missi. Nam neque ipse, neque vllus eius posterorum habebant mittendi facultatem. II. Cogunt Catholicos ad desertionem priscæ fidei, vt aliam noua quadam ratione deformatam ac ætate nostra natam assumant, quam nec audierant neque nôrant aliquando. Atque vt huic coactioni prætexant quasi pallium, omnibus iis crimen perduellionis impingunt, qui recentem hanc repudiant Insaniam. III. Inferunt Reformatum suum Euangelium armata manu. Beza concionatus est instructus sicis & loricatus; gladiatori propior & lanistæ, quàm Ecclesiastico Doctori. Alij Prædicantes (vtamur hac eorum voce) suggestum conscendêre, qui caligas replêrant sclopis. sed *Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur.* IV. Eijciunt suis Cœnobiis Religiosæ vitæ cultores, reformant, vt aiunt Monasteria, id est, Harpyiarum in morem prædâtes euerrunt & euertunt funditus.

Curt.

ditus. V. Reformant Prouincias & Oppida, sic vocant, irrigare eas ſanguine Sacerdotum, Monachorum & Catholicorum, nihili facientes cuiuſmodi eis tormenta admoueant, dum ſint modò Catholici, qui ea exceperint. VI. Miracula vel ſigna, vt ſuæ Reformationi concilient fidem, doceántque non eſſe petulantium hominum ſomnia, hactenus nulla producunt, quàm quòd Caluinus nouo Reformato miraculo viuum occidit, & quòd Deus, vt eorum Hæreſim damnet ac deſtruat, mira ſubinde ſigna conſuêrit oſtendere. Vnum vel alterum è multis dabo à teſtibus oculatis.

Anno M. D. LXXVIII. circa Bacchanalia, dum Templa reformarētur, (iteranda vox, ita volunt) id eſt, dum Imagines frangerentur, & violarentur Altaria, in quodam oppidulo Vollenhoe in Tranſiſala, erat quidam naupegus Marcus nomine, qui imaginē, quæ Chriſtum referret flagellis liuidum, & ſpinis compunctum, ſaxo inſidentem cum fluuiali arundine (quam imaginem Catholici more maiorum venerabundi ſolent colere) deiecit, & occipiebat findere. Sed cùm imago ad eius nutum minimè finderetur; protulit exſecrabilem blaſphemiam (ea Caluiniſtarum in Imagines pietas) Impingam, inquit, eius poſterioribus cuneum, & videbo num findi nolit. Impegit; fiſſa eſt. ſed ſceleſto operi cœleſtis manus interuenit. Siquidem vix quatuor vel quinque dies fluxerant, dum ſperaret ab operum Præfectis ſtipendium, Deus ipſemet perſoluit,

cúmque in posterioribus ita percussit, vt considêre non posset, ac deinde incredibilibus doloribus afflictus, plures dies clamans, & diré eiulás, miserabiliter vitam terminârit. Eius in prædicto facinore socius Ioannes Knijphuys, natus in Frisia Orientali, fuit illico post euersionem Imaginum à Deo percussus dysenteria, qua paucis diebus totus exhaustus, horribilibus cruciatibus & ipse finem vitæ inuenit. Circa hos Caluinistas & calumniatores fiebãt à Deo miracula, in vltionem Reformatæ eorum blasphemiæ; vnum oppilando, alterum laxando, vtrumque fœtenti pœna conficiẽte;
Psal. 77. vt verè Dauid de his Iconomachis: *Percußit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Eodem tẽpore Caluinistæ Bruxellenses, sagittas (vt dicitur) in cœlum missuri, prouolauêre Hallas, vt verã hanc Parthenopolin interciperent, suo eam more reformaturi, vbi imago B. Virginis incredibili Pietate ac Munificentia à Catholicis longè latéque visitur, quam S. Elisabetha Hungarorum Regina annis ab hinc CCCLXX. summo honore coluit, suæque nepti, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comitissæ, habendam reliquerat, quam illa Hallis in Hannonia collocatam voluit. Inter alios Caluinistas fuit Belga, qui se iactabat B. Mariæ Hallensi nares amputaturum. Accesserunt Oppidũ; & priusquam hic conuitiator quidquam efficeret, delatus est per aërem ex Vrbe globus, qui nasum eius reformabat & asportabat. Sic iste miser Hæreticus (vt

propriè

propriè dicam, denasatus) Reformato vultu, & ignominia faciem eius operiente, rediit Bruxellas, magna irrisione ciuium, qui ei deinceps B. Virginis Hallensis nomen obiectabãt, donec pudore victus Vrbe cederet. Hæc sunt miracula Caluinistarum, sed passiua; quibus eorum dolosa perfidia Hæresisque detegitur. Quærũt omnes modos, vt hominibus persuadeant, sibi nihil opus esse miraculis; sed nihil promouent, quandoquidem palàm innotuit Dei consuetudo, qui numquam mutationem vllam vel Reformationem in fide à toto terrarum Orbe vult admitti ac diutius seruari, quin det litteras fidei, seu Assertorias, quas vocant Credentiæ, illi quem destinat futuræ mutationi: quæ quidem litteræ aliud nihil sunt, quàm Diuina quædam signa humanam supergressa naturam. Scribebat id Martinus Lutherus ad Senatum Oppidi Mulhusensis in Turingia, dum Thomas Muncerus Anabaptista eos conaretur seducere: *Quærite à quo missus sit. si dicat, Deus me misit, petite ab eo Miraculorum testimonium. quia Deus non solet ad aliquid noui mittere quenquam, sine testimonio Miraculorum.* Et tametsi certum esset fidem Catholicam falsam esse, & ad eam nullis foret opus miraculis; sunt tamen ea necessaria, vt nobis ostendant veros ac genuinos Reformatores inter tam varios, vt Caluinistas, Lutheranos, Mennonistas, aliósque sexcentos, qui se pro Reformatoribus venditant; ne quis ceteroquin, vt dici solet, cepas pro alliis, saxúmque pro Niobe.

CAPVT DECIMVM.

Comparatio Jesuitarum & Caluinistarum ex vtrorúmque Vita.

ALIVD Operum genus, vnde Christus cognosci arborem iubet, situm est in hominum Vita. In vno conueniunt Iesuitæ cum Caluinistis. Vtrique enim viuunt & opera efficiunt Doctrinæ Fideique suæ consentanea. Iesuitæ credunt, Christum omnibus Christianis non modò Decalogum, sed etiam trium bonorum Operum genera plurimum commendasse, Orationem, Ieiunium & Eleemosynam. In primo laudatur omnis cum Deo familiaritas & coniunctio, quæ rerum cœlestium Meditatione fit, Contemplatione, Psalmodia, studio Orationis, aliisq. eiusmodi. In altero quælibet corporis Castigatio, & exercitia Pœnitentiæ. In tertio vniuersa tam corporalia quàm spiritalia Misericordiæ opera. Credunt etiam suis eum discipulis posterisq. tria præ omnibus consuluisse & commendasse, quibus ad perfectionem in hac vita pertingeretur, & demum cum Apostolis in duodecim judicantium sedibus, Antiquo dierum præsidente, ad viuos mortuósque vnà iudicandos, sederetur; quæ sunt Paupertas, Obedientia, Castitas. Iesuitæ horum non ignari, laborant vt Vitam suam ad hæc vniuersa componant. Non

Matt. 19.

Non permittitur apud eos quispiam minimum Dei vel Ecclesiæ præceptum infringere.

Quod attinet ad tria Christi Consilia, enituntur ea pro virili perfectè sequi. De *Castitate* nihil est necesse dicere, cùm illis imperetur Angelica Puritas; sine vlla prorsum contagione vel leuissima suspicione contrarij; & inter eos (Dei eiúsque purissimæ Matris beneficio, quam Nobili Clariss. hominum Sodalitate eidem instituta perpetuò colunt) perpetuò vernet Virginitatis intactus illibatúsq. flos. *Paupertatem* vti matrem Religionis eximiè diligunt. Nam volenti in Professis censeri, omnis primùm exuenda possessio, facultatésque relinquendæ, & consilio Christi largiendæ miserorûm egestati. Non obligatur in Iesuitas conferre teruncium, neque eis est in eius bona vel fundos ius vllum vel successio. Quisquis Christum æmulatus statuit nudus nudum sequi, ac Societati IESV dat nomen; nihil potest salua Religione, ne dodrantem quidem, habere proprium. Viuunt in commune, & exemplo primorum Christianorum *Act.* 4. nemo dicit quidquam suum esse, sed cuique tribuitur, quidquid alendo corpori fouendóq. est necessarium. Si quid vni, omnibus datur; de quo is plus accipit, qui eius indigentior. *Obedientia*, quæ præcipua Religionis est virtus, non imperia modò, sed etiam nutus anteuertere solita, præ ceteris perquam strictè seruatur in omnibus, quæ Præceptis Dei non aduersantur. Laborãt autem homines hi Diuini

freni patiētes, ac parendi cupidiſſimi, non tantùm manu & voluntate, ſed etiam ipſo intellectu cum Superioris mente congruere; & id agūt, vt ſicut eius arbitrio regi debent, ita quoque iudicium illi ſuum cum eiuſdem iudicio conforment. Ex quo in eorum Collegiis prouenit Charitas ſingularis ac cōiunctio animorum, quæ neruus eſt, Religionis corpus omne quaſi cum venis oſſibúſq. continens, vt perquam amanter concorditérq. inter ſe viuant. Quies item, Pax, Gaudium, Suauitas, Reuerentia, vbi omnibus ſimul vnum tantùm cor eſt, & anima vna, vt Scriptura loquitur de prima Chriſtianorum familia. Adeò arcta hæc eſt in Societate copulatio animorum, inter ſummos infimóſque, vt ſæpe me adduxerit in ſtuporé. quidquid porrò vni eorum fit, hoc quiſque ſibi factum iudicat. nam, Philoſopho teſte,
Plotin. *Qui partem cohærentium tangit, totum tangit.*
Quod ad tria opera à Chriſto tāt opere commendata, exercent ſe in iis pro ratione Inſtituti. In primis, omnibus diem aperit & claudit Oratio. Sacerdotes quotidie ſacrificium Miſſæ Deo offerunt, & ſtatas Eccleſiæ preces magno pietatis ſenſu fundūt. Qui non ſunt Sacerdotio initiati, debent quôque die eidem Sacrificio adeſſe, quothebdomadis animam Diuinis epulis, dulci, inquam, illo omnis ærumnæ lenimento famiſque ſolatio, refecturi. Inſuper quotidie tribuitur omnibus ſeſquihora, quam ſalutaria Meditando, aliiſve precationibus voluntariis debent tranſigere; ne, dum ipſi Apo-
ſtolico

ſtolico piſcatu homines capere ſtudēt, capiantur, præſidio Orationis deſtituti; aut, vti piſces extra fluenta, deficiant. Nam, vt ait Leo Rom. *Neceſſe eſt de mundano puluere etiam Religioſa corda ſordeſcere.* Nihil ſiquidem homini inter homines, & inter infeſta hoſtium tela verſanti ſine Meditatione tutum. Seruant indicta Eccleſiæ Ieiunia, adiungunt ſextæ Feriæ abſtinentiam. Aliæ Pœnitentiæ, vt cilicia ſimiléſque afflictationes, corpori macerādo minime deſunt; vel annuente vel imperante Superiore, à quo obligantur poſtulare Pœnitentias ſibi pro ſuis defectibus imponi. Collegia Eleemoſynas benignè erogant, vt fert facultas; quæ quidem hiſce in locis perexigua eſt, ad quadringētos quinquaginta operarios cóque amplius ſuſtentandos. Nihilominus per ſe alióſque leuant miſerorum inopiam, corrogatis ſubſidiis, potiſſimùm in vſus Studioſorum egentiorum, qui his aluntur, dum in viros vtiles euadant. In negotio ſalutis, citra diſcrimen cuique adſunt, tam pauperibus quàm locupletibus & copioſis, idque ſine vlla mercede. Obligantur ſiquidem Inſtituto gratis & ad honorem Dei omnia ea tribuere, quæcumque pro Legum ſuarum ratione poſſunt. S. Leo.

Hæc ſcilicet illa ſunt, quæ Societatem IESV fundant atque ſtabiliunt. Sublimia tecta turréſq. intuentibus, ſola ſubſtructionis amplitudo in oculis eſt, fundamentum latet. Ita res à Societate geſtæ, tot ſummarum Artium diſciplinæ, tot idiomatum ſacrorum profanorúmq.

peritia, tot edita omnis generis erudita volumina, tot Academiæ & aperta Studiosæ Iuuentuti Gymnasia, tanta animabus hominum toto terrarum Orbe conuertendis Diuini Zeli vis & flamma, Euangelio clausa regna, Satanæq; calliditate tot iam seculis obuallata penetrans ac peruadens, tanta prudentia in tot hominum millibus iucundè fortitérque in Dei Lege retinendis, ea denique variarum Virtutum & Euangelicæ Perfectionis acquirendæ cupiditas; hæc, inquam, aliáque solius dexteræ Excelsi opera, quæ tegi nequeunt, sola à multis vt admirabilia æstimantur, quasi credant tãtum sublimium operum culmen, cùm humana ope non possit, sine Diuina posse subsistere, & erigendæ sustinendæque tantæ moli profundæ Humilitatis fundamẽtum substerni non oportere.

Hortarer Hæreticos (qui ceu Lamiæ foris omnia oculis exemtilibus curiosè lustrãt, domi inclusis pyxide oculis cæci vagantur, propriarum rerum incuriosissimi) hæc Iesuitarum secreta inspicerẽt. Sed lippis vel offensis oculis est inaccessa Profunditas. Horum ergo secretorum ignari Caluinistæ, quibus nimirum viis Iesuitæ Collegia fundent, quibus trochleis erigant, quibũs ancoris firment, quibus præsidiis tegãt, quibus muris cingant, stupẽt à Magistratibus, Principibus, Regibus, Imperatoribus, Prælatis & Pontificibus Societati IESV tot passim structa struiq. Palatia, tantas obeundæ rei Sacræ Basilicas, & quasi Mausolea: cùm ipsi contrà

contrà flamma ferróque grassantes, vix horrea suis incestis sacris, latronum speluncas suæ crudeli lanienæ occupent; sed subterraneis vsi textrinis, cum coniugum liberorúmq. gregibus minore ibidem ordine, quàm animalia in Arca Noë, promiscuè viuant, vt Belitæ olim illi, quos Danielis industria suis ipsorum vestigiis fœdè solertérque detexit.

Atque hæc quidem Vita Iesuitarum, qui tametsi sublimibus vsi tectis, animo summissi; licet annuis ad perpetuitatem instructi reditibus, æquè singuli pauperes manent, quasi in Paupertatis domicilio fixerint, vt verè fixêre, transeuntis huius Vitæ tentorium. Sed calamum teneo. Sufficiat curiosis, nec volentibus vel valētibus præ liuore vel lippitudine intueri, hæc secreta Societatis Fundamenta, quasi paululum dimota terra, monstrasse. Scimus enim iussu maiorū *Limites ac Fundamēta moueri nefas esse*. Si quis in his hæsitet; adeat (vt dixi) ad Vrbes vbi Collegia sunt & Domicilia, & de iis Præsides Vrbium cōsulat. Ignoti non sunt, qui vltra quinquaginta annos in Patria vixêre, & quotidie à pluribus Vrbibus eximia significatione beneuolentiæ expetuntur. Equidem, dum anno M. D. L I I. me ad hanc Societatem adiungerem, non erant in vniuersa inferiore & superiore Germania, nisi vnum Collegium Viennæ in Austria, & è Sociis aliquot Louanij & Coloniæ. Ita deinde aucti sunt, vt in hisce dictis partibus habeant quinque Prouincias, & in iis septuaginta Collegia,

& quas vocant Reſidētias. Indicio id eſt bonæ illorum & fructuoſæ vitæ. Homines enim impij vel inutiles à bonis piiſque Principibus expeti minimè ſolent.

Ingrediantur itaque Hæretici Ieſuitarum Gymnaſia, luſtrent attentè ſingula.

Videant decorem Domus Dei,
quæ ratio functióve Sacrorum,
quæ confluentium hominum ac Sacramenta obeuntium pietas,
quę quámq. varia Deiparæ Virginis veneratio,
quis domeſticæ Diſciplinæ ordo,
quàm in Supellectile munda paupertas,
in Victu Veſtitúque frugalis æqualitas,
in Numero tanto ſilentium,
in magna Nobilitate Scientiáque demiſſio,
in mortificandis Affectibus ſtudium,
in Labore continuo indefeſſa alacritas,
in Mandatis Superiorum ad nutum obeundis obſeruantia,
in piis Sermonibus guſtus & occulta vis,
in domeſtico Congreſſu incredibilis contractio voluntatum,
in tot Nationibus iucundiſſima ſymmetria,
in Salute hominum curāda incenſa cupiditas,
in animo corporéve Infirmis paternus affectus,
in formandis Religionis Tyronibus exacta induſtria,
in Scribendo Studendóq. diſcreta aſſiduitas,
in Docēda Iuuētute voluntarius ac iugis labor,
in Religionis Hoſpitibus ſuſcipiendis ampla charitas,

in

in Quibuſuis terris pro Chriſto adeundis ſuccincta velocitas.

Sed quàm hæc aliáque, quia domeſticus, certò noui; tam, quia domeſticus, referre non poſſum. Hæc ſcribo Caluiniſtis. Catholicis ſiquidem toto Orbe innotuimus.

Obijcietur ſat ſció Ieſuitis (quæ cui piorum hominum Ordini obiecta non eſt?) Auaritia. At nequaquam id Religioſis nouum auditu. Scribit Cæſarius Heyſterbacenſis ab annis CCCC. de inclyto magni illius Bernardi Ordine idem hoc dici ſolitum. Vulgo auari cenſentur, qui non ineunt immoderata conuiuia, quod Ieſuitæ defugiunt. Impendunt Collegiorum facultates vtilitati ac neceſſitati domeſticorum, quibus victum, veſtitũ, libros, lumen, focum, medicamenta, & quidquid ad Dei cultum Templo ſeruit, & ad ædium ſarta tecta requiritur, parāt. Poſtulare etenim quidquam ſibi nemo poteſt, ſiue infirmus ſeu ſanus, à parentibus, amicis vel propinquis. Talis de noſtra Fama detractio ab his maximè manat, qui nulla ope noſtræ inopiæ ſuccurrunt. Quiſquis Ieſuitas nôrit, alium in modum loqui ſolet. *Cæſarius.*

Atqui, vt hoc addam, ſparsêre Euangelici Batauí eſſe me hominem ebrioſum & flagitioſum. Ita ex Haga Comitis ſcriptione accepimus. Non me pudeat infirmitatem meam confiteri, & Ieſuitarum omnium indigniſſimum: tamen quidquid eſt de me opinionis, diffiteor ebrietatem & omne genus flagitij. Decimum modò annum eóque

amplius

ampliùs dego Bruxellis, & vt tot iam annos taceam, quibus administrauimus vtriusque Germaniæ Prouincialatum (vt mihi videtur) abunde innotui. Quæratur num me quispiam viderit vino captum, vel aliter versantem, quàm hominem Religiosum deceat. sed proponam ius, vt opinor, æquum. Prouoco accusatorem, proposita pœna Talionis, quam tulit Pontifex Damasus. audeat, adeat, conferat pedem. Subeamus vnà ergastulum, & vtrum noxium Iudices repererint, vel me ob Flagitium, vel ipsum ob crimen Calumniæ, æternis carceribus multent.

Hactenus de Patrum Societatis IESV ratione Viuendi. Iam verò vt cognosci possit, quomodo Caluinistæ conformiter Fidei suæ Reformatæ, & Caluini Euangelio viuant, quosdam articulos ex eorum Euangelio promam. Primùm, docent hominem à contracto originis peccato carere libera voluntate. II. Solam fidem iustum saluúmque efficere, nulla consideratione operum meliorum. III. Mandata Dei seruatu esse impossibilia ac prorsus ἀδύνατα. IV. Nulla bona opera ad salutem cuiquam prodesse, neque verò esse necessaria. V. Hominē Christianum nullis legibus subijci; sed quidquid volet, pro libidine agere posse. Ex hac Reformata Euangelij Fide, deformata quædam Caluinistica Vita exsistit. Nam cuicumque persuasum est, non habere se liberam voluntatem, & fieri non posse, vt Diuina mādata queant opere cōfici, & vitiosa propensio-

Caluin. l. 1. Instit. c. 16. & lib. 2. c. 4. lib. 3. cap. 19.

propensione naturæ sentit se in superbiæ vitium, auaritiæ libidinísve impelli; is nullo Dei timore carnem refrenante cupiditati obtemperans, Non (inquiet) est, quî mihi temperem, quin meis cupiditatibus obsequar. non sum mei potens. Deest enim mihi propria voluntas, & tentatione adferente vim, non possum Dei mandato morem gerere, libidinémque peruincere. Et, Quid, quæso, necesse est me arduis Virtutum actionibus cruciem, vel Pœnitudine macerem, cùm nihil merear, sed Fides sola instar ceterorum sit? Rectè colligis, *Nihil agenti in sinum de cœlo est deuolatura Victoria*. Vide, vt hi segne otium velent. Hinc, hinc prouenit, Caluinistarũ Reformatam Vitam non ex Dei mente ad Præcepta componi, quæ illi seruare non possunt, neque ex obedientia Præfectorum, (nam, vt pulli onagri, natos se liberos putant, nec Regi Legíve subijci) neque ex propria Voluntate, qua carent; sed ad insitæ Cupiditatis arbitrium, quæ eos, nullo salutari metu animum occupante, ad voluntatem mundi Dæmonísque dementer impellit. nam, Quidquid in mundo, est carnis oculorúmque concupiscentia, & superbia vitæ. Itaque vides omnia Caluinistarũ Reformata Opera ex his tribus proficisci, (vt praua cupidine aguntur) ac præcipuè Prædicantium, Ministrorum & Consistorialium, prout quique altiùs Caluini dogma ad feces hauserint, spiritúmque Reformatum profundiùs imbiberint.

Liuius.

1. Ioan. 2.

Superbia

Superbia & elatio animi in hominibus his Iactantiæ cupidis tanta eſt, vt non modò indoctus mechanicus, ſed ipſæ quoque mulieres audeant ſe omnibus priſcis Doctoribus anteponere, Superiores ſuos deſpicere, & quidquid non intelligunt procaciùs irridere; vt hoc quaſi Arrogantiæ vehiculo adiuti inſolentiùs efferantur. Quidquid enim in animo leue & inane, Ambitionis ſe aurâ ſuſtollit. Quantò iis modeſtiùs olim Socrates de libro Heracliti! *Quæ intellexi, ſunt præclara: credo, & quæ non intellexi.* Reformata humilitas Miniſtri Andreæ Meluin, obſcuro loco nati, verecundata non eſt à triennio aut paulo amplius, in Scotia Ciuitate S. Andreæ, immoderata hæc & prætumida è ſublimi loco iácere: *Fecimus Regem, deponere poſſumus, immo deponemus, niſi fiat ingenio noſtro conformior.* Idem Miniſter, tametſi filius piſtoris, minatus ſe Baronem Darſi de imperio depulſurum, quod ei eſt in Ciuitate S. Andreæ, quam à maioribus accepit. Hi Thraſones occupent digitum, inuadent manum.

Reformata Charitas (ita nuncupatur Luxuria) dominatur maximè apud Prædicantes, qui non toti intus æquè ac foris nitent, quibus minimum eſt οἰκιδία παλλακίς. De hac multa dici imperat eorum Intemperantia; pauca, Pudor. Pareamus Pudori. ori & auri ſeruiatur. hoc vnum ſit ſatis. Suollæ in Prouincia Tranſiſala in Diœceſi Dauentrienſi anno circiter CIↃ. IↃ. XCIV. ibidem Martinus quidam ſupremus Hæreticorum Prædicans pro-

catus

catus est viduam hoc amore Reformato, quò eam duceret, vt aiebat; promittens, immo sanctè iurans, firmum cōnubij vinculum fore, eámq. omni honore prosecuturum, tamquam desponsam charissimam vxorem. Vidua longa Martini procatione, amore, ac promissis, & vt femina, tandem victa est, cessitque cupiditati. Tum verò procus iste, vti porcus colluuiaris, promissam pudicitiam in postremis habere, libidinem primam ducere, eámque adeò flagitiosam, horribilem & pudendam, vt meritò mētem, aures, calamúmq. refugiat. Dicam solùm, quod fas est, fuisse Reformatam. Vbi iam Martinus instar muli libidinem expleuerat, eámque pararet deserere, vt cum altera initium fieret nouæ turpitudini, quæ huic opibus, ætate, forma anteibat: incensa mulier est flamma zelotypiæ, eáque æstuans adiit bis térve mariti concionem, ad quam consuêrat Synagoga vniuersa confluere. Martino iam suggestum conscendente, ecce erigit se illa in Templo, omni populo inspectante, in hæc verba prorumpens: *O ciues & amici, ne credite proditori huic scelesto & impostori: his & his me accepit modis. Duxit, éstque coram hominibus Cœlitibúsque coniux meus. Nihilo minus quærit aliam fallere, vt me fefellit, vósque similiter cum multis aliis fallet*. Quæ res occasionem Magistratui dedit Martinum Vrbe proscribendi: qui Campos (nomen Oppidi est ad Rhenum) discedens, ibi quoque Annam Zeole iuuenculam deamat eodem Reformato amore. Sed

intellecto

intellecto priore fœdo facinore, cœnum hoc è suis terris eiecêre.

Reformata eorum *Fides*, id est Auaritia, non est minor, de qua pudẽdum istud factum suffecerit, quod accidit anno superiore CIↃ. IↃ. XCVII. Groningæ Oppido Frisiæ Orientalis. Sunt duo ciues Nicolaus VVrockgien & Hermannus Bellinghen, vterque Consistorialis. Nicolaus Hermannum quasi in filium exuberantiâ quadam amoris adoptârat, & Hermannus vicissim Nicolaũ ducebat Patris loco. penes Nicolaum aliquot erant libræ auri conscio Hermanno, qui fulgor desiderium ei accendit aliquam inde partem deducendi; &, vt dicitur, mustela odorabatur pinguedinem. Pecunia siquidem, quæ semper plurimum apud plurimos potuit, quid apud Hæreticos non potest? Quæsita opportunitate, abstulit scutatos aliquot è conclaui, subiectis eorumdem loco recentibus nummis calculatoriis. Vxor Nicolai ingressa conclaue rem videns, questa est marito: O, inquit, *care coniux, cur heri mutuum negauimus nostro vicino, cùm id à nobis infimis precibus magnáque oppressus necessitate contenderet? Iam vide, agnosce Dei manum commutantis pecuniam nostram squalidis hisce nummis.* Vterque rei miraculo & stupore defixi casum exponere, suáque lamenta in Hermanni filij adoptiui sinu deponere, parum opinati se lupo, quod aiunt, confiteri, eúmque facti adeò infidi & scurrilis auctorem. Hermannus contrà, videns Reformatum istud Euangelium è voto

cadere,

cadere, séque suspicione liberum; viam quærere reliquo potiundi. Est enim Hæretis auida & inexplebilis, ipsâque insatiabilis cupiditas copiâ incendi solet. Dum deinde Hermannus cum suo parente Nicolao tamquam Consistoriales prima luce ad Templum pro more iissent caussa Cœnæ ad præoccupandum locum: is cum Nicolao mensæ accumbens, *Pater,* inquit, *occupa mihi nonnihil hunc locum confestim redituro, vbi negotiolum, quod inopinatò in mentem venit, paucis confecero.* itáque secedens, rectà ad ædes Nicolai. aufert reliquum, locúmque ita purgat & abstergit, vt deinde nullis ei scopis spongiisve opus foret. Pura omnia impurus homo reliquerat. Nôrunt enim Caluinistæ illud Comici, *Rem auferre cum puluisculo.* Plaut. sine mora redit, sacrúmque Cœnæ Reformatæ bolum sacer sumit, eóque crimen omne deglutit, tam facilè, *quàm pyrum volpes comest.* Tandem detecta res est, postulatúsque repetundarum; eóque processum, vt huic pecuniæ auersori Groningæ fuerit luendum morte, nisi fuisset Consistorialis. Nam fratres & sorores Consistorij pro eo precabantur: itáque cùm omnis populus adesset spectando supplicio, Lictor Ciuitate eductum permisit aufugere.

Hæc est vita Reformata Caluinistarum, qui se tamquam mundi Formatores venditant, Belgis promittentes Reformatum aureum seculum, vt sensim lubricis hisce & inunctis promissis molliùs irrepere, & recepti impe-

rare, furari, ac iugulare possint. Tectus dolus aperto exitiosior. Non tamen ouilla pelle lupum tegere ita possunt, quin dentes emineāt; tametsi quà ouina non pertingit, vulpinam conentur assuere. Tot autem simulationum velis obtenduntur Hæretici, vt non pluribus inuolucris tegantur cepæ vel allia. De his Christus, *Qui non intrat per ostium, fur est & latro.* Veritas æterna mentiri nequit. Certum est Caluinistas non per ostium, sed per secessum & sterquilinium intrâsse. Quid inde confici potest, quàm impuros homines hos esse fures & latrones, quibus scilicet mos, publica priuatàque exinanire latrocinando; immo piorum hominum sanguinem medullámque exsorbere & exsugere? Hoc nimirum sentimus & hucúsque docuimus.

Ioan. 10. n. 1.

CAPVT VNDECIMVM.

Síntne Caluinistæ Regum interfectores?

IAM ego de tabula manum, cùm ecce Viri graues vna opera aliud quiddam Operi huic addi optauêre. Negaui primùm, ratus priora sufficere. cessi nihilominus, ne rem tantam viderer Posteritati negasse. Docebo, *Síntne Caluinistæ Regum interfectores?* Vtar autem in his locupletissimo teste Viro quodam Nobili, familiarissimo olim Theodoro Bezæ ac mihi: item

item Viro Pio ac Cl. Matthæo Launoy, (qui hæc ipsa scriptis attigit) eiusdem olim Sectæ Ministro, totiúsque Scenæ inspectore. Atque is cùm iam Hæresi eiurata, summo bonorum applausu ad Ecclesiam Romanam reuersus, nequitias has efferret in lucem: vetuêre Caluinistæ, ne quis virum refelleret, ne ille stylo, vt fit, irritato, vomicam (quod aiunt) profundiùs foderet.

Constat CIↃ. IↃ. LXIII. inter Carolum eo nomine nonũ Galliæ Regem, & Hugonottos, confectã fuisse Pacem Aureliæ, & certis vtrimque pactionibus solemne iusiurãdum intercessisse. Rebus ita cõstitutis, clàm tamen conuenticula & conciunculas habebant Parisiis Caluinistæ, & in eiusdem Vrbis, vt vulgo dicitur, Præfecturæ ambitu, & Rotomagi Vrbe Galliæ Lugdunensis, aliisq. præterea locis Pacis contractu prohibitis, erá que in manibus nouus belli apparatus. Erigebant clanculum in Regno Galliæ formam quamdam Reip. tuendi sui causa, armísq. lacessendi Regem Christianissimum, Dominum naturalem. Primùm itaque cogitarunt de Regni finibus herciscundis. Secabant hi Sectarij omnem Galliam in sedecim partes, quas vocabant Tmemata seu Cantones; eásq. singulas in multas alias Præturas. Præturas deinde partiebantur in multa variáq. Sodalitia seu Conuentus, quos Ecclesias nominabant, quæ suum singulæ habebant Collegiolum seu Consistorium. In quaque Prætura creabant singulare quoddam Synedrium

drium seu Concilium; quod conflabatur ex certis cuiúsque Consistorij hominibus, Ministris aliisve, quibus ea res tutò credi possit. Vide quanta fuerit in hac disiunctione con- *Didym.* iunctio & impia συμπλοκή. Ita lupi dum flumen tranant, proximus quisque præcedentis caudam mordicus tenet, & velut serie cohæ- *Cicero.* rent. Sed quia *Colligatum omne solui potest*, vt *Plato.* fatetur Philosophus, τὸ δεθὲν πᾶν λυτόν· ne hæc λυκοφιλία seu coniunctio luporum (qui dum flumen tranant, cohærent; vbi tranârint, diuelli solent) citius, quàm vellent, dissiparetur: hæc ab eis est instituta ratio. Ista quæ dixi Synedria singulis Neomeniis furtim conuocabantur, vbi quisque afferebat quidquid eorum studiis prodesse vel obesse crederetur. In singulis Cantonibus aliud erat præterea Concilium amplius hominum grauioris ætatis, in quibus plus consilij & dignitatis esset. Concilium hoc plerumque sexta quaque hebdomade cogebatur, vbi delecti Synedri seu Collegæ Præturarum cuiusque Cantonis referebant quidquid in suis inferioris subsellij Conciliis euenisset. & vltra omnia hæc Concilia aliud demum erat Concilium generale, vbi deputati omnium Cantonum exponebant quidquid in sua Iurisdictione actitaretur. Supremum hoc Concilium erat Virorum totius Sectæ principum. Tot autem Conciliis constitutis audiebant Biantem, νόει τὸ πραττόμενον· *Agenda perpende*. Et quòd in hoc Concilio magni quidam Viri essent, quibus parum

rum fiderent, &, vt dicitur, lupos non caudis sed auribus tenerent; erat denique secretum quoddam occultúmque posterius Concilium, seu interior reconditiórque factiosissimorum Synagoga, vbi sceleſtiſſima quæque eorum facinora agitabantur, de quibus rudis plebecula nihil cognoſceret. Ibidem secretiſſimas Inſinuationum, quas dicunt, litteras mos legi & expediri. Legimus veteres Conſo conſiliorum Deo in locis ſubterraneis ſacra feciſſe, vt docerent ea demum conſilia vtilia eſſe, quæ laterent. Credo & hos Conſo litaſſe, immo & tunicam cum Metello Pio combuſturos fuiſſe, ſi ab ea putaſſent conſilia detegi vſpiam poſſe. Hinc ſcilicet fiebat, rem tantulamcúmque in vllo totius Galliæ angulo non accidere, quin illico nôſſent. Beza, tamquam Miniſter Generalis, nequiſſimo huic Conciliabulo Præſes legebatur.

Hac adumbrata Politia, ipſi merè *ἀναπόγραφοι incenſi & inſcripti*, ſed ſponte in re illiberali liberales, quater ſine mora quaterna centena librarũ millia collegerunt ad res ſuas tutandas, tum vt animas hamo, quod dicitur, aureo piſcarentur, ac mercedula adducerent, (verè Nazianzeno dicti θεοκάπηλοι ſeu ſacrilegi nundinatores) tum ſtipendiariis ſuis tam in Germania quàm alibi alendis, qui paſſim velut indices & exploratores in ſpeculis ſtabant, vt Penſionarios in Principum aulis ac Dynaſtarum pecuniâ aggrederentur, ac largiendo caperent, tam ad Dominorum *Varro.*

captandas eorum operâ voluntates, quàm vt secretiora quæque horum perfidiâ detegerét. Hac quoque pecunia Magistri equitum & Tribuni militum alebātur, vt ad quoduis Furoris classicum & subita belli, ferentarij & cataphracti pedites equitésve nihil cunctati viribus in vnū collatis celeres & expediti more vulturum, *qui triduo futura cadauera præsentiunt*, aduolarent, infestisque signis concurrerent, & leui commotiunculâ vniuersa hæc impiorum machina ocyssimè omnibus quasi membris moueretur. Nam Hæresis quæ viuit motu, diu hærere sub pellibus non potest. Singula insuper Consistoria tenebantur in Comitiis seu Prouinciali Concilio (quo Sectæ Synodos adumbrant) proferre nominatim qui suorum viderétur arma ferre posse: quibus si facultas deesset parandis armis, prouocabatur collatitia benignitas, monebantúrq. locupletiores, qui non essét ad arma idonei, hos instruere, vt ita omnes procincti essent, dum vsus necessitásve postularet. Clandestinis item hisce coitionibus renunciabantur Centuriones ac Chiliarchæ, Mensores, Structores annonæ: item per Conquisitores miles scribebatur ac centuriabatur leuioris grauiorísque armaturæ. Dum acerba hæc potio ab Hugonottis in Gallia pararetur, tam Christianissimo Regi, quàm vt Vrbes aliquot munitiores caperent, vt Diuiodurum seu Metas, Galliæ Belgicæ Oppidum, Trecas siue Tricassium, Vrbem Galliæ Lugdunensis, Cabelonum in Heduis, Peronam

Plin.

Veroman-

Veromanduorum, vbi eorum conatus fallebatur: Augusta interim Suessonum seu Suessionum in Gallia Belgica, Aurelia oppidum Academia perillustre, Vellaunodunum siue Altissiodorum in Burgundia, aliæque præterea Vrbes vineis actis, aggere iacto, turribúsque cõstitutis, nonnullæ quoque priùs quàm aries murum attigisset, hosti furoriq. cessêre. Erat Rex in Monte Regali, vt Archãgeli Michaëlis, Patroni Ordinis, festũ diem Meldæ in Gallia Lugdunensi religiosè coleret. Sed subditi eius rebelles Hęretici ac perduelles aliud ei festum adornabant, Reginæ sobolísque opprimendæ consilio capto, hoc est, vt aiebat Beza, vti scropham cum omnibus nefrendibus ferro tollerent. Displicuit scilicet his Aeoli filiis tanta malacia Regníque tranquillitas. hi minimè sunt *ἀνεμοκοῖται*, & *qui ventos sopiant*; immo verò nec ferunt nec feruntur vllo leni Africo. Euros postulant, vt vis maior æstúsque se incitet. Rex noua belli specie cõmotus, vid[illegible]sq. se non minùs inopinatò quàm perfidiosè corona cingi & insidiis opprimi ab Hugonottis, qui copiis circumiectis transitum fluminis obsepserant, vitæ securitatique fugâ consuluit, euasitque Lutetiam. Valde siquidem facinus hoc proditionis plenum mirabatur, cùm contrà persanctè deierassent. Sed oportuit scilicet eum discere indolem Hæreticorũ, qui è mendaciis periuriisque sunt consuti. *Eustath.*

Hugonotti, Rege iam elapso, subitò omnibus copiis Carnotum prouolârunt, vbi iterum

 multis

multis vtrimq. per Caduceatores interloquiis Pax coiit, præcipuéque Principis Condé bonæ indole eam promouente. Pacem hanc vocant Carnotensem, quæ studiis Ministrorũ ac præcipuæ parti hominũ horum impiorum magnopere aduersabatur, qui scilicet pruriebant, illatis primùm infestis in Templa signis, ad Vrbem Carnotensem totámq. Galliam prædatoria manu compilandam. Exsecrabantur homines discordiosi Principem Condæum, qui hanc Pacem rebus esse voluisset. *Isti*, inquiebant, *Pacificatori clandestina est stipulatio cum Regis matre. non patitur nos domos suorum affinium ac nepotum aggredi*. totam autem signabāt progeniem Regiam. Beza & Ministri palàm in os exprobrabant, quòd Pacem hanc non modò aduersus Deum, sed etiam ab omni ratione alienam fecerat, cámque propria aliquando ceruice lueret. nam quandoquidem haberet sub signis tam illustrem aciem aliquot legionum, oportebat scilicet, Fortuna nihil demorāte, Victoriam prosequi, & Religionis hostes Deique inimicos, (hoc est, Regem omnésq. Catholicos) funditus pessumdare, ferróque delere. Adiecit Beza, dixitq. cuidam Nobili Viro nostrati, (à quo id accepi & superiùs attigi) Pacem nimiùm leuiter temeréque factam esse, non consulendo os Domini, questus eam sine suo consensu & Prædicantium coiisse. inibat tum subinde suggestum sagatus loricatúsque. at quis vmquam vidit Catholicũ vllum Ecclesiasten χαλκοχίτωνα, ferreáque tunica rem Diuinam

uinam vel verba ad populum facientem? Sed Beza armatum Euangeliũ nunciabat. Tametsi verò hac Pace Carnotensi vtrique alteris se iureiurando deuinxerant; isti tamen Tiberij simulationis pleni, priusquam receptui canerent, legiones ac phalangas mitterent, & arma ponerent, id est, disiungerent capita fumigantium titionum; nihilo secius destinabant veteratoriè Aduocatum nomine Francourt in Germaniam tamquam Fetialem, vt nouas rursum clandestinas maláſq. artes inirent cum Duce Bipontino, quem vafre studiis suis adiunxerant: neque interea Vrbes Regi reddebant, vti fuerant stipulati. Fatebuntur Docti omnes hos verè ἀναπαριάζειν. Non habebat apud Ministros locum illud Periandri, καλὸν ἡσυχία· *Bona res, Quies*. Suscitabant Nobilitatem & Vulgus, vt partes suas factiosè tuerentur, nec arma desererent, sed bellum acriter & indefessè traherent, vímque omnem conferrent, ad Catholicos omnino sicut pecora concidendos. esse in ferro Victoriam. Hanc qui optet, illud ne ponat.

Conuocabãt quothebdomadis Ministros seu Demodidascalos, & nihil præter arma, arma, hi buccinatores, ac de bello gerendo, de cædibus, ruinis, populationibus, incendiis pro concione crepabãt, quò omnibus animus amplior esset, neu plebs forsan, vt fit, Pietatis cultu animis effecta mansuetior elanguesceret, néve armorum desuetudine remollesceret. Erant autem consilia hæc occultissima. Hîc parebãt

Thaleti Milesio, ὃ μέλλεις ποιεῖν, μὴ λέγε· *Quod facturus es, ne prædixeris:* obliti interea illud Sosiadis, ὅρα τὸ μέλλον· *Futura prospice.* Hisce suis ad populum concionibus varia seligebant ὑποκείμενα & argumenta; alia de Israelitarum ex Aegyptiorum finibus egressu; alia è Deuteronomio, de bello quod Hebræis fuit in illo immani deserto; alia è Regum libris, de prœliis contra Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, aliásq. gentes à Religione alienas. Matthæus Launoy ait se tum enarrasse D. Pauli ad Ephesios Epistolam, ideóque in Symmystarum offensionē incurrisse. Prohibebatur proinde à Cōsistorio eam materiam prosequi, iubente aliud populo proponi, quo plebs flagrantiùs arma capesseret, nemóque non hanc cicutam biberet. adeò hi erant (quod Lacon quidam dixit de Tyrtæo) ἀγαθοὶ ψυχὰς κακανεῖν· *Efficaces animis surrigendis ac concitandis*, totiq. æstuabant ne fex populi possit subsidere. Iam Plinio crede, *Galliam non quati terræ motu.* Sumsio proinde Launoius Prophetam Ioëlem, illis partim obsequens, partim suos auditores ad criminum Pœnitudinem hortaturus. Fuit, dum is quem dico Matthæus duobus Ministris de Vaux & Boisseau (hoc vtrique nomen) quereretur: *Nescio quod nos bellum gerimus. Non videtur id mihi animo spiritúve Christiano suscipi, quandoquidem tanta sæuitia immanitásque ac tantum in eo admittitur mali.* Tum de Vaux: *Frater*, inquit, *habemus gratias quòd cor tibi sit molle ac mansuetum; bonæ omnino naturæ indicium: at videndum porrò tibi ecquod bellum ducamus,*

mus, & quibus arma intẽtemus. Prœliamur prœlia Domini, & res nobis est cum Idololatris & hostibus Dei, ac proinde necesse bellum hoc sit dirius ceteris, magísque cruentum & atrox, nec inimicis Dei vllo modo parci conuenit. Nescis Saülem Diris & Exsecrationi obnoxium fuisse, & à Deo repudiatum, quòd Amalechi pepercisset, hostémq. mollius accepisset. Debemus rectiùs agere quàm Saul, cùm Deus suggesserit nobis tela in manum. Ceteroqui numquam Regi aut hostibus nostris dominabimur. *Omnino*, inquit alius quidam Santonum Minister, *oportet nos tantam agris inducere vastitatem, & plebeios ita exsugere, vt Rex nihil succi ex subditorum ariditate exprimere possit; eósque ita radere, vt ille, si lanam quærat, hircos tondeat, quo nerui defectu bellum diutius sustinere nequeat, eóque tandem modo hostibus nostris euademus superiores.* Suadebat contrà quàm Tiberius, ξυρᾶσθαι scilicet *τὰ πρόβατα, οὐ κείρεσθαι·* *Non tondere, sed*, vt ait Varro, *deglubere*. vel *τροπικώτερον εἰπεῖν, Ita vindemiemus ac racememus Galliam, ne sit acinus leuandæ siti.* occultabant interim perstudiosè hoc consilij caput. sed consilium frustra erat; agebántq. vt mugiles, qui si caput condiderint, putant se totos tegi. Enimuero vt πολλοὶ Βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ πολλὰ ὦτα· *Multi Regis Oculi & multæ Aures*; cùm Rex hæc cõsilia conatúsq. per suos ὠτακουστάς odoraretur; nec pungendum modò, sed suffocandum Galliæ *Lilium inter Spinas*, vitámque ipsam peti videret: non erat cur de sua, matris, fratrum, totiúsq. suæ Catholicæ familiæ esset salute sollicitus? Consciuit quoque Rex anno M. D. LXXI. conscelerato consilio conclusum fuisse ab Hugo-

Sueton. *Xenoph.* *Arist.* *Plut.* *Cant. n. 2.*

Hugonottis, vt cōdicto die, tempore quarumdam nuptiarū, se cum tota sua progenie omnibúsque Catholicis internecione confatali delerent; Regni, vt sic dicam, cadauer funere efferrent, omnísque Gallia incendiariis bustum esset. Hoc nimirum fuisset Caluinistarum in illis nuptiis ᾆσμα γαμήλιον, seu carmen nuptiale. Quocirca videns Carolus fortunas suas in extremo sitas, cepit in arena consilium, visúmq. quàm maturrimè tempus antecapere, facinúsque anteuertere, & vepres has armata manu euellere, immo syluā totam cum grassatoribus lupis exscindere. Inauspicatò námque obliti erant illud Solonis, μηδὲν ἄγαν· *Ne quid nimis*. adeò Hæresis stolidè semper insolescit. Itaque ipso D. Bartholomæi eodē anno M. D. LXXII. huic Caluinianorum horrendo sceleri, & Regis Christianissimi Patriæque parricidio obuiam itum est; & qui ferrum alteri acuerant, suis illud iugulis excepêre. ac sic quidem κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίγνεται τέλος κακόν, exitúsque mediis initiisque respondit. Sunt hæc testatissima, & in luce omnium gentium. Ex quibus confici potest, *Num Caluinistæ sint Regum ac Dynastarum trucidatores*, & mille-artium, seu χιλιότεχνοι, quem titulum transferre conantur in Iesuitas. sed *habeant secum, condántque sepulchro.* Hinc quoque cerni potest, quàm familiaris iis sit ars fœdè mentiendi. Quid in hac Petri Panne Sententia egerint, videte. Nam piget in hac cruenta Caluinistarū laniena progredi: ideóq. hîc eorum Crudelitati metam pono.

Eurip.

Nuper

Nuper admodum contra Ecclesiam edidit librum pestilentem ac sacrilegum Gaspar quidam Greuinchouius, Minister Rotterodamẽsis, qui vt in Iesuitas inuidiam accendat, tamquam in homines omnium quos terra sustinet nocentissimos, Patriæ luminum exstinctores, columinum euersores, cruentos, diros immanésque Regum ac Principum sicarios ac parricidas; repetit hanc latam in Petrum Panne sententiã. & notate, quæso, impudentiæ quoddam genus singulare. ego illud mirarer sanè, si consueta mirarer. Iam quid mirer? μῶρα γὰρ μῶρος λέγει. Ponit is ibidem absorpto pudore nomen (vt ait) Prouincialis Societatis IESV in Belgio, quasi qui Petrum Duaci nefariè ad facinus tam exsecrabile impulerit, scribitque Prouincialem vocari *Iacobum Colenium*. Quid ais hominum homo inconsultissime? Quod ad Sententiam, scio beneuolo Lectori præsenti Responso, Vrbiúmq. quæ subiungo testimoniis, factum satis. Sed nomen hoc Iacobi Colenij hactenus mihi inauditũ. Nam ex quo Patres in Belgio vixêre, non fuit Iesuita eo nomine, multo minùs Prouincialis. id enim temporis Præpositus Prouincialis qui administrabat Societatem per vniuersum Belgium, vocabatur, vt constat, *Oliuerius Manareus*, quem (more nostro) sequutus est P. Bernardus Oliuerius, præsens Prouinciæ Belgicæ Prouincialis. Siquidem antequam hæc Sententia nata esset, P. Georgius Duras Societatis Prouincialis cùm esset, iam à R. P. nostro Claudio Aquauiua,

Aquauiua, Societatis IESV Præposito Generale, Romam erat euocatus, vt eidem Assistés seu à Consiliis esset, quod munus etiámnum obit Romæ. Quæro nec reperio Iacobum Colenium. Nam alij duo huius Prouinciæ quondam Prouinciales P. Balduinus ab Angelo & ego; duo item Vice-prouinciales P. Ioannes Harlemius & P. Ioannes Oranus, nec nomine nec tempore huic cõmento suffragãtur. Vnde apparet fœdissimi mendacij turpitudo. Cuius tamen si arguantur, rogésque cur adeò confidenter mentiantur; respondebunt quod Laconicè olim quidam Lacon, *Quia liberi sumus*.

Notandum quoque hanc Sententiam Gallicè tralatam esse, eíque accessisse virgulam Reformationis, (vti eam accepimus Parisiis ibidem ad exemplar Hollandicũ typis expressam) vt habeatur pro subiectitia, ac tamquam non vndequaque vera. In hac enim Gallica supprimitur *Præfecti* nomen, de quo antè docuimus. Hæc etiam verba ibidem omittuntur, *Conseruatio Christianæ Reformatæ Religionis*. Item, *Ad excutiendum Hispanæ tyrannidis Dominium*. Item, *Præcipuè illi, qui Papales superstitiones, (hoc est Romanam Catholicam Religionem) amplecti vel probare nequeunt*. Ita nôrunt nostri Caluinistę vela obliquare in ventos, & vndecumque se prosper aliquis flatus ostenderit, captare vel Euros vel Zephyros. nam facilè opinabantur hæc verba in Gallia non placere. sed posterioris clausulæ loco de Principibus Catholicis, subiecêre, *Quos* (Principes) *oportet timere & honorare*. Eâdem

dem Caluiniſtica calliditate inducta ſunt hæc verba: *Sed quòd ipſe hîc cùm eſſet, flexerat animum, & decrêrat hoc ſcelere abſtinere, (vt aiebat) dictum facinus cum animo reputans, quod alteri vitam eripiendo conſciſceret, Patriámque grauiſſimè obturbaret, ſemet quoque obijceret perſpicuæ morti; & his commotum fuiſſe conſcientiâ.* Id omne prudenter hæſit in calamo, ne Viri Sapientes Vrbis Pariſinæ Iuſtitialem hanc Reformatámque Sententiam reprehenderent & exploderent, quæ hominem ſtultum morte damnaſſet ob peccatum ſola mente admiſſum, nihil efficiendo patrandóve, neque parando exſequi. Itaque Gallica Sententia eſt Reformata, & eorum loco hæc ſunt nouo eóq. lepido figmento perbellè adſcripta: *Et obuij facti ſunt* (Petro Panne) *duo Ieſuitæ, cultu campeſtri ſeu militari, qui eum aſſiduè inſtigabant ad opus perficiendum, eúmque ad id animabant. Sed dum iret per vias publicas, ab obuio quoque percontans, quid demum hominis eſſet Princeps Mauritius, quo vultu, qua barba, quæſitum cur hæc omnia nôſſe vellet? Subiecit, cupere nôſſe. nam tametſi multa audiſſet de eius fortibus factis, numquam tamen id optanti contigerit, vt hominem coràm licuerit cõtueri. Demum notatis eius moribus, eſt de homine ſuſpicio cœpta naſci num quid fortè ſtrueret. Commonitus Prætor, confeſtim inijcit manum, & deprehendens onuſtum litteris, quæ facinus iſtud parricidale concernerent, vinctum tenuit, effecítque ſine magna vi, facinus vniuerſum conſiliúmque patefaceret. Sed duo illi Ieſuitæ reperti non ſunt. Fatebatur Sicam quadrifidam, qua ictum deſtinârat, abieciſſe, dum videret ſe detectum, cuius ectypoma hoc eſt.*

Contra-

Contractam hanc SICAM velut meditatæ cædis instrumentũ graphicè exprimebat Gallica Sententia. Sicæ ἔκτυπον curaui ad finẽ Operis accudi. Quæ quidem omnia firmant priorem coniecturã, ipsósmet Caluinistas modum quærere Comitis necandi, eóque excogitasse hunc *Demogorgonis mucronẽ*, SICAMQ. TRAGICAM. Nam infelici Petro Panne, homini (vt fatentur) stolido, numquã ea subtilitas in mentem venit, nec verò venire potuit; quíque nôrunt Iesuitas, certi sunt hanc SICAM non prodiisse ex eorum theca. aliis videlicet illi vtuntur calamis. Caluinistæ callẽt artem seu palàm iugulãdi, seu clàm tollendi, vt variè docuimus. Propterea censent Viri Sapientes, Comitem Mauritium periculosè tali se trãsfugarum plebeculæ fidere, quæ & de eo exstinguendo cogitet, & mansuetissimum Hollandiæ populum iam diu adeò Pharaonicè premit. Accepi à quodam Leydensi, Petrum Panne, dum rogaretur quid vellet, respondisse: *Summissus sum à Præside Richardoto, vt Comitem Mauritium è medio auferam.* Dum ei deinde diceretur, *Falsum id est, Præses Parisiis est, obitque Legationem Pacis. nónne te ergo Iesuitæ misêre?* promtè respondit, *Misêre.* Et hoc fundamento fabula tota cõstructa est, formata Sententia Reformatáque. imitantur

Plin. Hæretici *vultures*, quos *aiunt è vento concipere.* Tametsi enim homo parum iudicio valens in dies palinodiam caneret, ita vt Senatores essent multum anxij, ignari quid agerent, conspecta hominis stultitia, erepta tamen est vita.

Nam

Nam (vt Secretarius Ioannes Houten aiebat) *Fecerit, non fecerit; luendum est.* Idem Secretarius insignem hanc Sententiam vulgandam curauit, cuius latores (nec immeritò) iam tantopere pudet, vt mirari quis possit effrontem hunc Rotterodamēsem ausum vel eius meminisse. Sed vbi Hæresi frons? non est Pudori in Hæreticorū fronte locus. Hinc eorum collige impudentiam, iuratúmque odium Caluinistarum in Iesuitas, à quibus tamen nihil præterea damni, quàm quòd cupiant segreges Christi oues, quas error transuersas egit, in rectā Salutis semitā reflectere à via æterni exitij, in qua verè sunt, certóque ad Inferos gradu eunt, nisi ad relictę matris Ecclesię Domum gremiúmque remeent. Credunt Viri graues facinoris huius consilium multò antè coctum esse à Caluinistis. Nam Burdegalenses Romā scripsêre, Iesuitam quemdam Martinū Riebecium Brugensem Burdegala in Hollandiam nauigasse, vt Comitem Mauritium necaret, qui tamen à festo Venerabilis Sacramenti Burdegala discesserat. neque verò is in Hollandiam venit, sed Middelburgum Zelandiæ, indéque Brugas Flandrorum, agitque etiámnum in Collegio Cortraceno.

Porrò hoc Caluinisticum in nos odium tantum est, vt iis non sufficiat in Hollandia nos Galliáq. traducere confictis hisce parricidiis; optarent quoque odio Germanorum obijcere nouis Sycophantiis insontes. Nam cùm sint tumultuum motuúmque, seditionis ac rebel-

lionis irrequieti concitatores, aliud nihil meditantes, quàm quomodo subditos in Superiores concitent; superioribus diebus rumorem quemdam diffudêre Coloniæ, summa ope niti Iesuitas, militem Regium, qui modò Rhenum obsidet, Coloniam introducere, & Imperialem liberàmque Vrbem Imperio Episcopali subijcere, aut saltem iis illam cõstringere angustiis, vt Antistiti in omnibus necessariò concedant. Sed Clariss. atque Sapientissimus Senatus Coloniensis, qui annos ab hinc quinquaginta nos nouit fouitque, & Caluinistarum tumultuosam indolẽ non ignorat, de Patrum Societatis IESV innocentia securus est, scitque hæc aliáque eiuscemodi mẽdacia odio nostri ab inuidis coniuratisq. Ecclesiæ hostibus proficisci. Attentiùs sibi cauebit scio Colonia Vrbs Sancta, à tumultuosa Caluinistica rabie & arrogantia, quàm Comitissa Embdæ in Frisiá, quæ ipsorum assiduos motus magno suo damno sensit. Immo & Parisiis nuper Caluinistæ noua quædam Gallica lingua vulgauerant, de infelici progressu Serenissimi Regis Sueciæ consilio Iesuitarum. sed perinde irrisi sunt, vt recenter, dum fabulam nescio quam finxêre hi venenarij de quodam Eduardo Quire, qui Hispali in Hispania fuisset subornatus à quodam Anglo Iesuita, magnæ ibidẽ, vt aiunt, auctoritatis, Richardo VValpolo, vt nodum seu pomum ephippij Reginæ veneno imbueret. Miror eos quoque non metuere, ne Iesuitæ etiam Angliæ fontes inficiant, ac

ob id instituant χρυνοφυλακίαν seu *fontium custodiam*. Sed piget his ineptiis respondere. Caluinistæ tacere nescij, molestiores sunt Aulœdis Arabiis, qui drachmâ canebant, silebant verò non nisi quatuor acceptis. Quare placet nugas ac nugiuendulos hos præteriri. Flent conflentque vt libet. *Venti desituri vehementissimè spirare solent*, teste grauissimo Philosopho Seneca. Quærunt & confingunt omni ex parte vt ingenitum sibi in nos odium mendaciis expleant. sed apud verè Catholicos nihil promouent, qui vanas eorum nenias tamquam plenam odij rabiem contemnunt. *Polli.*

Ceterùm sperat Greuinchouius adhuc venire in Brabantiam, eàmque decussis & corruptis signis Templorum diripere, & Caluini Euangelio doctrináque implere. Rapinam solaretur, quòd *frondium iactura facilis, quia renascuntur*. At Caluini Euangelium doctrinámque huc inuehi, & Fidem tolli, perinde est *si truncum seces*. Et si quidem tum incidero in eorum manus, promittit mihi mercedem. sed spero Deum nobis Patriæque magis propitium fore, &, si venerint, non litaturos *Fortunæ reduci*, quod iactant: tametsi παραδίδονται πολλάκις καὶ δίκαιοι εἰς χεῖρας ἀσεβῶν · *Scimus & Iustos sæpenumero Impijs tradi*. Verisimilius est nos breui venturos in Hollandiam, vt Hollandos iterum antiquæ suæ Fidei restitutos in lacteam rectámque cœli viam, à qua Hæresis eos abduxit, reducamus, & transferamus eos de tenebris his in admirabile & clarum Ca- *Senec.* *Basil.*

tholicæ Veritatis lumen, eósque à Caluinistica seruitute vindicemus. Sufficit Brabantis Caluinianam iam expertos esse tyrannidem, & semel vidisse *campos vbi Troia fuit.* Plus reperiunt quietis & ocij in antiqua nostrorum maiorum fide, & sub naturali Principe, quàm inuenêre in Caluinistica rabie, sub imperio Ministrorum, qui primo accessu balsamum spuunt, deinde sulphur vomunt. Ad me quod attinet, Gaspar (opinor) quæ est insita omnibus Caluinistis immanitas, eique ipsi innata sæuitia, haudquaquam parcet, si sim in eius manu. fuit siquidem, vt ipsusmet Amsterodamensibus est fassus, à Campési Carnifice à puero enutritus, vndè constat cum lacte suxisse sæuitiem. Hinc equidem eiusdem Tortoris filium fuisse colligo. Quis enim det alendos liberos Carnifici? Ah! quàm honorantur Rotterodamenses tali Prædicante! Ad me ergo quod attinet, non me negligam, & D. Athanasij exemplo & Christi admonitu vitabo manus Caluinistarum. nam eorum crudelitas ac tyrannis omnem tyrannidem antecellit; nec modò desita supplicia reuocant, sed etiam superant, vt clemens sit ille præ his, sub quo homo quondam in tauro mugiit. Ait eruditus Cosmographus Theuetus *Lib. xiiij. Cosmog. Cap. v.* IIXX. annos traiecto Oceano Atlantico inter Ethnicos & Barbaros vitam agitasse; sed neutiquam vllibi gentium tantam vidisse vel audisse tyrannidem, quantam in Catholicos expromunt Caluinistæ. Nihilominus, si Deo videbitur vt in eorum veniam potestatem, nihil

hil inflexa animi celſitudine precabor tuam, Chriſte IESV, Clementiãm, vt tuo munere concedatur certaturo Conſtantia martyrio ſubeundo, opémque depoſcam Deiparæ Matris, quæ ſuos clientes non cõſueuit deſtituere, præcipuè cõtra filij ſui hoſtes generosè decertantes, adeò vt & illud alacres vſurpent, *Vre,* *August.* *Seca,* omnéſque læti tolerent ſecures, rotas, *Cicero.* cruces. Et ſi mihi vitam tollant, longam tamen tollere non poſſunt. *Qui enim diu cucurrit, longè is à meta abeſſe non poteſt.* Ac tametſi mihi minentur Hæretici, nihil tamen iis viciſſim precor mali. Si eorum quiſpiam in manus meas veniret; lenibus primùm fomentis animum hominis mollirem, conarérque reducere ad Orthodoxæ Antiquæ Catholicæ Fidei Sanitatem. ſi curari poſſe diffiderem, nec eſſe cataplaſmati locum, manum retraherem. Atque hunc quidem Ieſuitæ cum Hæreticis agendi modum tenent, ſtudentes non repentina ac violenta mutatione ad frugem compellere errantes; ſed eos potiùs ab Hæreſeos Hyeme, per blandum quoddam beneuolæ Inſtructionis quaſi Ver, ad lætam amenámque florentiſſimæ Religionis Catholicæ velut Aeſtatem & Conſcientiæ ſerenitatem gaudiúmque traducere. Non enim ſatis aptus eſt hominibus ſanandis, qui ægris læſiſve non didicerit condolere. *Amicorum eſt corrigere, iratorum vlciſci.*

CONCLVSIO P. FRANCISCI COSTERI AD CALVINISTAS,

MIRIFICAS vobis pro immenso honore debemus gratias, Caluinistæ; qui tamen honor sua nobis magnitudine verecundiam parit. Accidit Romæ anno CCLX. binas sorores ortas claro & illustri genere, Ruffinam & Secundã, ob fidem Christianam à Iunio Donato, Vrbis Præfecto, in carcerem contrudi. Is Ruffinam imperabat horribilem in modum loris cædi, Secunda flagris sectæ sororis cruciatum inspectante, vt rei atrocitate virgini timorem faceret, itáque ab Orthodoxa Fide diuelleret. Sed Diuini Spiritus afflatu alius longè motus in animo Secundæ alteri nulli secundæ ciebatur. Ea posito metu Tyrannum his verbis aggreditur: Quid agis,

homo

homo impie, & hostis cœli? Cur is honor à te sorori tribuitur, me appetis ignominia ac dedecore? non equidem minùs Christum colo. Quare æquum est me pariter flagris conscindi, Christum vnà profitentem. Nam Christianorum nomen verberibus augetur; & his immortales ac marcescere nesciæ parantur Coronæ. *Et hæc quidem Secunda erat oratio. Pari modo possunt multi Sancti Viri & Religiosi de vobis queri grauiter, se præteriri, dum solos Iesuitas ceu signum vestri Scopi collimantibus oculis intuemini, in eósque arcum Vesaniæ vestræ detenditis. Agnoscunt quis sit honos, ab hostibus Dei & Sanctæ Ecclesiæ contumelias & vexationes pati. Indicium est non contemnendi roboris, si quando opus est milite fortiore. Diuus olim Antonius maiorem vim malorum*

 excepit,

excepit, quo cernebatur animosior. Omnibus seculis quæ Hæreticos peperêre, fuerunt Viri singulares, qui ab iisdem infestarentur; ab Arianis Hilarius, Basilius, Nazianzenus, præ illis Athanasius; ab Manichæis & Donatistis Augustinus, ab Origenistis Hieronymus, ab Henricianis Bernardus, à Petrobrusianis Petrus Cluniacensis, ab Albigensibus Dominicus cum excellenti sua Familia, & ita ab aliis alii. Qui quidem Pii & Clari Viri infestis Hæreticorum odiis gloriosiùs euecti sunt, & per omnem Orbem illustriores effecti; vt olim vsu venit, aquarum terras omnes inundantium eluuione Arcam Noë Plin. *in sublime efferente. Sanè* fenum Græcum quo tractatur peiùs, hoc prouenit meliùs. *Quid, quæso, opinamini cogitare Christianos, demirantes inter tot Religiosos Ordines aculeum vestrũ emitti in solos Iesuitas? Suspicantur vos eos metuere,*

tuere, (neque coniecturâ aberrant credo) & hoc tempore à Deo per B. Ignatium de Loyola excitatos esse, qui recentibus Hæreticis huius æui, in Ecclesiæ sanctæ præsidium, tamquam firmum propugnaculum se constanter opponerent. Hinc maior omnium in nos affectus & amor, vt solemus chariores habere strenuos & gnaros pugnæ Duces, qui contra hostes instar leonum in acie steterint, facinus aliquod singulare pro Republ. intrepidè consciscentes. Nam κίονες, ἄνδρες ἀγαθοί. *Creditis, Caluinistæ, timorem vestrum non colligi ex sycophantijs quas machinamini? sola vobis cordi proscriptio Iesuitarum.* Philo.

Accidit sub annũ Domini D. XXCVIII. *Episcopum Massiliensem Theodorum Sanctitate inclytum è Gallia extorrem eijci, imperio Regis Gunteramni; quo Treuiros iter inflectente, Episcopus Treuirensium Magnericus in Diui Maximini Cœnobio*

pro eodem preces Deo obtulit ad ſepulcra Martyrum, quorum ibi corpora ſacra depoſita ſunt. Sed è Templo ad orationem exeunti fit obuiam mulier occupata ſpiritu erroris, hæc in eũ contumelioſè vociferans: Homo ſceleſte ac nequitię inueterate, precaris Deum pro inimico noſtro Theodoro; vide, nos in dies cogitamus de eo è Gallia exterminando, qui nos quotidie vrit; nec tu aliquando orando deſiſtes? Væ nobis, qui eum ſubigere non poſſumus! *Scribit id Gregorius Turonenſis, Epiſcopo ipſo Magnerico rem omnem familiariter enucleãte. Idem vos in Ieſuitas, eodem inſtinctore. Molimini eos omnibus terrarum finibus exigere. Cur ita tandem? experimini canes, qui ouile tuentur; eóſque ignominiâ deprimere conati, magno, quem nec merentur admittúntve, honore attollitis. Quid? num honor non eſt, &*

quidem

quidem minimè vanus, (vt superiùs attigi) duodecim Iesuitas maiori vobis esse formidini, quàm omnes qui Patriâ continentur (ita loquimini) milites Hispanos? &, dum nullum siue Ecclesiastici seu Ciuilis ordinis adeò abesse cupitis, vt solos Iesuitas? Sudatis miseri, quasi vnicus Iesuita plus vobis negotij facessat, quàm tot simul. Ideo filij tenebrarum, perinde eos probósque omnes vitatis, vti bubones, noctuæ, & nycticoraces lumen Solis. Neque id honorificum Iesuitis, quòd Catholicam Doctrinā S. Ecclesiæ, titulo Doctrinæ Iesuitarum insignitis? Num exigua est commendatio, eos dici Iesuitas, qui Mundo valere iusso, omnia hæc inferiora instar vmbræ & vt σκιᾶς ὄναρ transeuntia substernunt soleis; Deóque familiariùs vsi, sacrosanctis eius Sacramentis crebrò reuerentérque aluntur? An vacua gloriatio est, nihil præter fabulas & conficta

mendacia

mendacia adferri posse Iesuitis oppugnandis? Quid? an non est cur ad Deum cum
Psal. 138. *Dauide clamemus,* Nimis honorificati sunt amici tui Deus? Regium
Plut. *enim* est, *inquit quidam,* audire malè, cùm facias bene. *Ideo dum hos mendacijs consutos libellos accipimus, sunt nobis loco facetiarum Poggij. His animum oblectamus, Deum laude efferentes, qui nos sua gratia ita communit, vt varij quidem pro tuenda fide Catholica cruciatus, nulla verò scelera nobis verè obijci possint. At hostes Veritatis mendacijs solis nostrum nomen oppugnant, quæ sponte in morem fumi euanescunt, vt Religionis fulgor clariùs enitescat. Dum D. Antonius magna Cacodæmonum manu videretur obrui, edito solùm viuificæ Crucis signo omnes nullâ morâ terga vertebant. Tantidem æstimant Iesuitæ immanes manésq; vociferationes, quas secum vestrûm quique*

que

que demurmurant. Nam certi ſumus his apud nos alióſque Virtutis ſtudioſos nihil effici poſſe; qui hæc æſtimant vt paleas volantes & venti ſpolia. Sed hæc eos tantùm mouent, qui praua quadam animi inductione quærunt quî nos ſpecie iuſti doloris euitent. Norunt Docti illam Oris diſertiſſimi vocem, οὐ δυνατὸν τὸν ἐν ἀρετῇ, παρὰ πάντων ἀκούειν καλῶς. Chryſ.

Proinde pergite chari Caluiniſtæ, & conſpicua fiat Orbi inſcitia præfractæ nequitiæ plena. Nam quò magis mouemini, eò magis fœdi fumantéſque videmini. Quamlibet *enim* forte fruſtra iaculum mittitur, (*ait D. Gregorius*) vt dura ſaxa feriantur. eò namque obtuſum lõgiùs reſilit, quò intortum fortiùs venit. *Nihil apud Ieſuitas veſtra Reformata Veritate, id eſt, vanitate mendaciorum, conſequemini. Unguis veſter non nos lædit, tunicæ tãtùm noſtræ floccos legit,* Libro 5. Moral. cap. 11.

legit, quod ait Hippocrates Insaniæ signum esse; & , si fiat in Insania, Mortis indicium. Si quid proinde vultis sine dedecore consequi, ad Propositiones octo meas aptè congruentérque loquimini, sed citra mendacium, vt vestra Reformata Doctrina aliquo nitatur fundamento. Alioquin pudefaciam vestram indoctam (qua Ecclesiæ membra Diuinis vinculis adstricta impiè laceratis) Falsitatem, & ostendam Orbi terrarū, omnem prætensam vestram Reformationem esse fœdam, exsecrabilem, & vastam quamdam Hæreticorum deformationem; nec aliter Reformatam, quàm reformetur lautus cibus, dum qua parte reddi ciborum onera solent, (vt Christi Seruatoris voce vtar) in secessum vadit, & comesus eijcitur. Sed cùm κακίας ἔξοδος sit ἀρετῆς εἴσοδος· vtilius vobis foret, quos fel Hæreseos fefellit, si ad antiquam vestram matrem Ecclesiam postliminio

Philo.

liminio reuerteremini. Hæresis siquidem non dissimilis est illi aquæ quam habet terra Pelorias. eam nec explorari licet, nec Solin. *attingi. si fiat, qui id ausus fuerit, malo plectitur; quantámque sui partem ingurgitauerit, tantam it perditum. In hoc Hæresis illi aquæ dissimilis, quòd qui hanc tetigerit, totus perit. Si quis tamen incautè Hæresi captus est, Confessione culpæ cautè se liberet. Imitetur scolopendras, quæ* Plin. *hamo imprudentiùs deuorato omnia interanea euomunt, donec hamum egerant. Porrò infelices precamini Deum, vt detur vobis hæreticè mori. quid vobis peiùs optari possit, quàm vt essetis compotes voti? Ah! mementote iuges Gehennæ pœnas esse admodum graues, & Æternitatem valde longam, vtpote nullo vmquam fine terminandam. Ad hæc haud dubiè reseruamini, nisi ad relictam Fidem officiúmque reuertimini. Ceteroqui*

fiet,

fiet, veſtram hanc Peruicaciam queſtibus minimè profuturis, dum hîc vos ipſos ſponte negligitis, ſeriò ſeróque lamentemini, lætámque Protaſin excipiat luctuoſa Cataſtrophe. Finiam vouens: Conuerte hos Deus ſalutaris noſter. *Formidabilis*
Chryſ. *Diuini Chryſoſtomi vox:* Si peccantes non punimur, magis tremere debemus. *Epiſtolámq. hanc magnus*
Greg. *Gregorius conſtringat, & velut flammeo carbunculo obſignet:* Quos diu vt conuertantur tolerat, non conuerſos duriùs damnat. *Bruxellis,* XXVIII. *Julij,* M. D. XCVIII.

VRBIVM
LITTERAE
AC
TESTIMONIA
de Petro Panne
A
IESVITIS
vt volunt Caluiniſtæ
AD
COMITIS MAVRITII
cædem ſummiſſo atque ob id
Leydæ plexo.

HONORATIS VIRIS

PRAETORI

AC

SENATORIBVS

VRBIS LEYDAE.

QVA parte defuiſtis officio, à nobis ſuppleuimus. Veſtrum ſanè erat, attentè ſcrutari Veritatem, priùs quàm vllum iudicio damnaretis, ſtaretíſque à mendacio contra homines innocentes, eóſque toto paſſim terrarum orbe velut cruentos crudeléſque falsò in-

cesseretis. Grauitatem, quæso, intenti criminis vobiscum æstimate. Cepistis Petrum Panne, nec eum paucos dies in vinculis habuistis, hominem ita natum, vt haud difficulter ex incondito sermone moribúsq. cerneretis esse mente imminutum. Criminabatur nunc hos, nunc illos; sed odium omne ab aliis dimouentes, in nos solos struebatis, quidquid tamdem illum antè mentitum sciretis, & assiduè παλινῳδεῖν. Incogniti vobis erāt Iesuitæ, vtpote nullo vmquam tempore conspecti vel auditi: nihilominus ob vestrorū Euangelicorum in nos acerbitatem, credidistis quidquid homo mē-

te captus contra nos afferret, nihil vltrà de Veritate ſciſcitati. Ita infelicem ſui mẽdacij reum, ex præſcriptione Iuſtitiæ Reformatæ, ſummo ſupplicio mactaſtis, latámque in eum ſententiam variis linguis in Orbis terræ memoriam diſſeminaſtis, vt nec Belgæ, nec Galli, nec Germani, nec Angli, nec Scoti, nec vlli denique Europæi hanc calumniam ignorarent. Luctuoſum ſanè, miſeri hominis amentiam ſupremis pœnis lui. Iſtiuſmòdi Iudicibus optabat olim vir Sapiens forum muricibus ſterni; Cambyſes verò viuis pellem detrahi, &c, in documentum, tribunali prętendi; *Plut.*

ne ſcilicet Ius in ſua vmquam ſede violaretur. Adite vos ipſos
Orig. (eſt ſiquidem *Conſcientia ani-*
Ariſtot. *mæ pædagogus*, καὶ ὄμμα ψυχῆς)
& videte, æquúmne ſit vlli famam ita pudendè lædere inuiſo & inaudito, ſola confeſſione hominis de ſua ſede & ſtatu dimoti. Cur, obſecro, binas aures accépimus à Natura ſinguli, niſi vt vtriuſque partis contro-
Ammian. uerſia audiatur? alioqui, *Quis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiat?* Profectò minimè leue huius Calumniæ crimen, nec à Deo ſupremo Iudicij die parui æſtimandum. Famam noſtram vt libet modò oppugnate. nam hæc eſt hora veſtra

(vt

(vt Christus Iudęis loquebatur) & potestas tenebrarum. sed veniet dies Domini magnus & horribilis, in quo æquè exactã, immo longè maiorem exiget huius pudendi criminis rationem, quàm de verbo omni ocioso, de quo mortales, Christo interminãte, rationem sunt redditurì. Nam tametsi spero viros probos qui nos nouêre, his non modò non offendi, sed (vt experientiâ didicimus) impendiò nũc magis erga nos affectos esse, quos vident apud Hæreticos, Dei & S. Ecclesiæ hostes, tantam acerbitatem inuidiámque subire; est nihilominus falsa hæc sententia, perniciosa & na-

turâ improba, potuítque ſuſpicionem illis commouere, qui nondum Societatem IESV ſatis cognouiſſent. Ideo Deo hominibúſque vi conſcientię obligamini, noſtrum nobis Nomen in integrum reſtituere. Sed quia perſuaſiſſimum nobis eſt, vos hac parte vobíſmet defuturos, maximè cùm diſciplinæ veſtræ Magiſtri, qua ſunt conſcientia, hanc reſtitutioně nihili ducant; viſum eſt laborem hunc vobis adimere, mittimúſque comprehenſas hoc libello litteras Senatorias Vrbium Iprenſis, Montenſis in Hannonia, Duacenſis, Bruxellenſis, quas earumdem Ciuitatũ Magiſtratus ex iuratis ſuo-

ſuorum ciuiũ teſtimoniis confecerunt, vnà cum iis quæ à Senatu Antuerpienſi excepta ſunt. E quibus perſpicuum cuique erit, quàm multis mendaciis profecta à vobis ſententia ſcateat, & quantopere vos debeat per omnes Chriſtiani populi oras pudere tam vani Iudicij; eóque magis, quòd rem (vt alias linguas omittam) quintùm iam ſextúmve noſtro idiomate vulgatam longiſſimè propagaſtis, vt nimirũ tenebricoſa Hęreticorũ nequitia peragrans omnes terras, in luce omnium gentium verſaretur. Quilibet non obſcurè cognoſcet, qua nimiopere incitamini, animi

perturbationem & impetum, exſibilabit Reformatam hanc iudicandi rationem, damnabit odium capitale veſtrum inuidiámq. in Ieſuitas: potiſſimùm imprudentiam tantam demiratus, qui non opinabamini Ieſuitas nequaquã tacituros, ſed ad teſtandam innocentiam, adeò efficaciter mendacem Iudicum ſententiam eſſe refutaturos, vt non immeritò pudoré veſtrum rubor ſit conſecuturus. Fit id modò harum litterarum Teſtimonio, eáque quam præmiſi Reſponſione, eíſdem fundata documentis. Tametſi autem promatur Veritatis telum paulo cunctantiùs; non proinde erit

erit hebetius minúſve amentatum. Litteræ ſiquidem hæ oſtendunt nos maturè, firmíſq. nixos fundamentis, & irrefutabilibus rationibus tueri Veritatem. Vnum porrò poſtulamus, quo conſcientiâ leuemini; vt ſcilicet veſtra bona venia ſcripta hæc apud vos viuant. Ceteroqui delicta veſtra tribus recentibus, iíſq. magnis criminibus augeri neceſſe eſt. Primum peccati genus in Spiritum Sanctum admitteretur, quod eſt oppugnare agnitã Veritatem, eámque obſtinatè peſſumdare: alterum erit velut in cœlum clamans, nimirùm innocentes opprimere: tertium verò cõtra iuſti-

iuſtitiam, dum inferetis impedimentum, quo minùs Famam noſtram, iniuriâ nobis ademtam, iure repetamus. Sufficiat prior culpa. ea namq. in Diuino Prętorio omnino futura maior, quàm vel Miniſtri veſtri exiſtiment, vel ipſimet opinemini. Tametſi nihilominus fruſtra Veritatem hanc tentaretis opprimere; quæ naturâ enatat tamdem φελλὸς ὥς, ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας. Bruxellis, XXI. Auguſti, M. D. XCVIII.

Franciſcus Coſterus.

Ad Lectorem.

DAMVS hîc, Beneuole Lector, Tabulas, publica Vrbium & Senatorum Jprensium, Antuerpiensium, Montensium, Duacensium, Bruxellensium auctoritate perscriptas, ad Leydensis sententiæ in Petrum Panne mense Iunio latæ mendacia renudanda. Ex his cognosces Jesuitas omnium, quantum est qui viuant, hominum non esse pessimos; neque adeò tetros ac deformes, quàm eos decoloribus figuris exprimere conantur Hæretici; eósque nequaquam toto terrarum Orbe ea diritate cruentóq. ingenio haberi, vt Leydana sententia comminiscitur. Hæretici, credo, nostri persuadent sibi, fines sui imperij Orbis terrarum finibus terminari; neminémque in hominum numero habendum, qui eâdem

mentis

mentis ægrotatione & insanitate correptus secum in Hæresi non furit. Hinc aiunt impudenter, Vt toti orbi constat, *de solis Hæreticis cogitantes, qui vspiam in exiguo mundi angulo delitescunt, ac pòst paulò vt priores omnes euanescent, vel sanè, vt infelix lolium per lætas Christi segetes, hinc inde inimica manu dissiti, Angelorum tamdem manu radicitus euellendi. Modò namque reseruantur Emendationi, vel Igni.*

M. Manil. lib. 3. Astron.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

LITTERAE

ET TESTIMONIA VRBIVM *Iprensis, Antuerpiensis, Montensis in Hannonia, Duacensis, Bruxellensis, ad sententiam contra Petrum Panne Leydæ latam pertinentes.* De Teutonico Latinè conuersa.

OMNIBVS litteras has visuris vel audituris, Coss. Senatores, & Concilium vrbis Bruxellensis testamur, singulisq; de perspicua Veritate constare cupimus, nos hodierno die, qui est VII. Augusti, anno cIɔ. Iɔ. XCVIII. vidisse, inspexisse & accuratè examinasse nonnullas disquisitiones, tam exaratas in charta communi, quàm Pergamena, subscriptas & signa-

ſignatas conſentaneo eóque quo deinceps docebitur modo, quas comperimus ſolidas, ſanas & integras, citra vllum vitium, inductionem, ſuſpicionémve, & quarum hîc exempla de verbo ſubiecimus, in hanc omnino ſententiam. Ac primùm:

Tutor Vrbis ſeu Prætor, Senatores, & Concilium Ciuitatis Iprenſis iis omnibus qui litteras has viſuri ſunt vel audituri, S.

Notum cupimus, teſtamur, & de Veritate certiores reddimus, Nos Patrum Collegij Ieſuitarum rogatu hac in Vrbe, ſtudiosè diligentiam omnem, quantam quidem potuimus, adhibuiſſe indagandæ ac cognoſcendæ eius rei Veritati, cuius mentionem facit Expoſitio Iudicij ſeu ſententiæ per Senatores vrbis Leydanæ in Hollandia latæ, cuius fuit exſecutio XXII. *Iunij anni* CIↃ. IↃ. XCVIII. *poſtremò lapſi (ſequentes huic fini communicatum nobis exemplum typis excuſum) contra Petrum Panne modò vita functum, ciuem quondam huius Vrbis, opificio vietorem, & qui ſe aliquamdiu mercatu butyri & caſei occupârat. Atqui certiores effecti de indole, ſtatu, & moribus dicti Petri Panne: primùm deprehendimus ſolemni declaratione, & affirmatione nobis ſeparatim iuſiurando confirmata, partim à Maria Bouvvets, Petri Panne olim coniuge, partim à Melchio-*

re de VValle, materiario fabro (vtroque hac Leydensi sententia accusato delatóque, tamquam conscio & participe suscepti in Comitem Mauritium criminis, quorum est mentio in prædicto Iudicio) neutrum horum quoquo modo se huic implicuisse facinori, neque vllum de eo sermonem habuiße, non magis priuatim inter sese, quàm cum ipso Petro Panne, vel alio quocumque tamdem modo. immo nullam vmquam à quoquam mortali eius rei audisse fieri mentionem, neque sibi ipsis tale quid in mentem aliquando venisse. Prædictum item Melchiorem non fuisse Petro Panne (vt is videtur declarasse) consobrinum, at cognatum, ídque adeò remoto gradu, vt præcisè de ea cognatione nihil statuere poßit, exiguámque cum eo iunxisse vitæ consuetudinem. Maria quoque, vt priùs, iuramento affirmante, numquam confeßam esse Iesuitis, neque aliam vllam sibi cum iis fuisse notitiam; immo perrarò eorum interfuisse concioni, præterquam initio, dum primùm Iesuitæ Vrbem hanc ingreßi essent, anno M.D.LXXXIV. *cósque tum sacras conciones habuisse in æde D. Nicolai: de reliquo communiter Ecclesiam Parœcialem frequentasse.*

Simili iuramento Melchior nobis affirmauit, non iisse Duacum circa Bacchanalia superioris anni XCVIII. *vt prædictum Panne dixiße apparet, immo neque Duacum hoc toto biennio vidisse, præterquam nuper admodum pridie D. Ioannis. itáque eo ipso tempore, quo Petrus Panne Leydæ plectebatur, Duacum profectum esse, Nicolao Stichele stannario, vxoris suæ auunculo, vt se viseret, eo euocante. Addebat de Petro Panne nihil scisse, eiúsque destinata consiliúmque prorsum ignorasse. ac tunc quidem in Collegium Iesuitarum ibidem non vlterius ingressum esse, quàm in Ecclesiam, vt Sacro in-*

tereſſet. Ad hæc affirmat Melchior, ſibi cum hoc Ieſuitarum Collegio numquam alium fuiſſe vſum vel conſuetudinem, quàm quòd ibi tamquam faber, vt plures alij, lignariam exercuerit, eam ad rem ſub initium Collegij aliquanto tempore ſe intra eamdem domum tenens. Ad Collegium Duacenſe quod attinet, nullam ibidem vmquam ſibi cum vllo interceſsiſſe notitiā, neque in illud ingreſſum eſſe aliquando, præterquam omni vita ſemel, ab hinc circiter quinquennio, quantum commeminit: proficiſcentem tum Duacum ad viſendum dictum Nicolaum auunculum ſuum (eáque occaſione ab vno Patrum Collegij huius Vrbis poſtulatum, vnâ operâ domum Duacenſem inſpiceret, ſi qua forſan fuiſſet ibidem commoditas, quæ potuiſſet hîc quoque eſſé vſui) in Collegium Duacenſe diuertiſſe, ſtructuram omnem luſtraſſe, Patre quodam einſdem domus deducente, qui, quod Gallicè loqueretur, ægre à ſe potuiſſet intelligi. aliam ibi notitiam aut conſuetudinem ſibi, vel etiam Petro Panne (quantum ſciret) fuiſſe nullam, nec butyrum vmquam aliúdve illi Collegio paraſſe. Maria Petri vidua idem affirmauit, neſcire ſe eumdem Panne maritum ſuum vllo tempore in prædicto Collegio verſatum eſſe, eidémve rem vllam procuraſſe: ſed ab hinc duobus tribúſve annis Pædagogio Aquicinctino; cui cum Ieſuitis ibidem nihil commercij, cùm à Cœnobitis Aquicinctinis adminiſtretur. Cui rei Nos etiam certò declaramus, in codicibus rationum prædicti Petri Panne (quos prædicta vidua ad nos attulit, domui emortuali renunciatura) diligenter inſpectis, nullam notaſſe fieri mentionem vllarum rerum aut mercimoniorum, quæ tangeret Ieſuitas.

Vidua vlterius affirmat, coniugem ſuum Petrum hinc

hinc profectum ipsis Cineralibus, IIII. *videlicet Februarij* XCVIII. *neque vnquã exinde domum reueniſſe, miſiſſéve (ſaltem quod ad ſe peruenerit) per Theodoricum Bul aliáve via pecuniam vllam, ſiue ſummam vndecim librarum Flandricarum, quarum eſt mentio in prædicto Leydenſi Iudicio, ſeu aliam quamcumque, neque pallium vllum, ſubligaculum vel alias veſtes, vt prædictus Panne videtur dixiſſe; ſed è diuerſo ait, Petrum maritum ſuum hinc ſine penula profectum, & Montibus Hannoniæ quamdam ab eo ſumptam mutuò, & deinde ludendo abſumtam: hinc debuiſſe ei qui mutuam dederat, venerátque huc eius repetendæ gratia, aliud illius loco mariti pallium dare. Item ſe à prædicto Panne marito ſuo nullas accepiſſe litteras, quibus ei ſignificaſſet iter in Hollandiam ad rem quam nóſſet, vel de qua ipſi locutus eſſet, vt prædictum Iudicium inſinuat, ſed quaternas alias litteras, quas nobis exhibuit, quarum poſtremæ datæ erant* XXIX. *ſuperioris Martij, quæ nihil horum continebant. tantùm confectis rebus cogitare reditum.*

Adhæc teſtamur, varios homines fide dignos cum iuſiurando ſtudiosè à nobis auditos rogatóſque de ingenio ac moribus prædicti Petri Panne, ac nobis teſtatum feciſſe, parum propenſum fuiſſe in Religionem Catholicam, à natura hominem bardum & parum prudentem, ſtolide arrogantem & leuem, mendacijs ac vaniloquentia plenum, & ſe pro more inſolentiùs iactantem, de multis perſpicuè falſis & abſurdis rebus, vt in cæteris, fuiſſe ciuitatis Iprenſis quartum Senatorem, & Prætorem Fleinenſem: parentem verò ſuum (fuit is arte ſartor) obiiſſe legationẽ Anglicanam, & alias ſimiles ineptias, citra omnem probabilitatem

ſpeciémque veritatis: præcipuè dum paulò largiùs obbibiſſet, quantumuis parum, ſiue vinum foco eliquatum, ſeu alium potum quemcumque, quod ei perfamiliare, immo quaſi diurnum fuit. eúmque peculiariter ſuam hanc fatuitatem leuitatémque animi non ita pridem Montenſi profectione poſtrema variè ineptiendo declaraſſe, qua conſtat abfuiſſe domo amplius quadrimeſtre, neque vmquam interea domum rediiſſe, à prima Eſurialium feriarum huius anni CIↃ. IↃ. XCVIII. *vſque ad* XXII. *menſis Iunij, ſupremum ſcilicet vitæ diem. Quo quidem tempore quæſtionibus habitis, didicimus abiiſſe hinc Inſulas, Tornacum, Montes Hannoniæ, & inde iter Inſulas relegiſſe, denuo abiiſſe Montes, de Vrbe in Vrbem commeando remeandóque, ac corrogando quoſcumque potuit creditos ſuis debitoribus nummos, qui centum Flandriæ libras laxè exæquent, eóſque omnes potatione aliiſque probris decoquendo, de hoc œnopolio in aliud tranſeundo, ac varias ſtultè faciendo fabrilium carbonum, lupuli, rerúmque aliarum mercaturas, vt demum inops à pecuniis Montibus bis captus detentúſque ſit: & poſtremò ob* LIII. *ſolùm Flandriæ libras, ac* XVI. *drachmas Æginæas debitas cuidam Ioanni Amant, Montibus quadam turri clauſus in arce teneretur, vſquedum Carolus Parmentier & Iacobus Dryuere (ambo butyri mercatores Ipris Montes profecti ad mercimonia, rogatíque ſub diſceſſum à dicti Petri coniuge, vt quæſitum ſi fieri poſſet reducerent) ipſímet beneuolentia inducti has* LIII. *libras, reliquáque ſoluerunt, & ita prædictum Panne carcere laxatum, in ſuum hoſpitium (cui inſigne Leucopodis) tranſtulêre, vbi vna nocte cum ipſis hoſpitatus (comparato iam equo reductitio, quo eum denique domum erant reuecturi) poſtridie*

postridie bene manè hospite ludificato discessit: itáque cauponas peruagatus est, vt reperiri non posset. inde porrò abiit Valencenas; vbi cùm triduum inter ebriorum voces, in popina cui signum Triremis, cum institoribus vel proxenetis aurigarum perpotasset, & aliis eiusmodi quisquiliis hominum, hospita percipiens eum soluendo non esse, superiore ædium cubiculo clausum tenuit, donec necessitate adductus aduocaret circitorem, cum quo omnem suam vestem quadam leuidensa permutaret. itáque pecuniola reliqua placauit cauponem. Atqui cùm curasset multum peregrinè ludij seu morionis instar capillum tonderi, eo habitu Duacum iter intendit, vt propè à nullo agnosceretur; diuerténsque ad pandochium vulgò Bretesque, *huc illuc Vrbē percursans, denuo in omnibus tabernis vbi notus esset potationi vacans, aiens veste despoliatum, ad se deuehi currum butyro onustum, id effecit, vt iterum alias vestes mutuò impetraret à quodam vestiario. tamdem frustrata solutione, cum prædictis vestibus aufugit Fleinas in Cœnobium, cui innotuerat ac solitus erat mercari butyrum. Ita Antuerpiam profectus est, ac deinde in Zelandiam, vt ex hac sententia & deinde aliunde constat, tam variis in itinere Montensi admissis ineptiis ac stultitiis, vt libri ea de re confici possent (quod aiunt testes) atque adeò vt varij habuerint eum pro merè stulto & homine offensi cerebri, voluerintque concludere, vel ligatum curruíque iniectum domum deuehere, si potuisset comprehendi, quod fieri nequiit. Vlterius asserimus similem opinionem de imminutione cerebri habuisse prudentes quoque Viros in Hollandia & Zelandia, vt cognouimus variorum literis quæ ad manus nostras peruenêre.*

Demum non grauatè declaramus affirmamúsque

tamquam rem certam, prædictos Iesuitas Duacenses nullum annuum reditum minutum magnúmve ab Vrbe Iprensi colligere: at Patres Societatis in hac Vrbe, super eadem X. *solùm libras totidémque drachmas Aeginæas censu annuo percipere, Societati cessione relictas, collatásq. à quodam liberorum quondam Huberti Bonnaert, qui se eidem Ordini adiunxit; ac nullo modo Iesuitis has pendi, quòd doceant Iuuentutem, cùm ne sestertium quidem vel sesquiobolum ab vrbe aliundeve eius rei gratia admittant, idque siue instar pensionis, seu quomodo tandem cumque.*

Denique etiam id notum cupimus, & pro explorata veritate asserimus, tabellariorum huius Vrbis officia hîc vendi publica licitatione, & ab Vrbe restituta nòn pluris venijsse quàm centum libris Flandricis semel dumtaxat numerandis, atque etiam minoris, vt collegimus è codice horum officiorum venditorũ hîc asseruato: ex quo, & ex qualitate officij statui potest, quanti idem tabellariatus quotannis valere possit.

Postremùm affirmamus Nos prædictos de Societate Iesuitas, quæ nobis cogniti sunt, repperisse & habere tamquam Viros bonos, honoratos & vitæ religiosæ, Pacis concordiæque studiosos, ac nihil à nobis deprehensum in ipsis esse, quod eò vergere possit, de quo in prædicto Tribunali instituta est accusatio. In quorum omnium veritatis notitiam, præsentes has Graphiarij nostri chirographo signari iussimus, & Tutelæ seu Præturæ vrbanæ sigillo muniri. XXIIII. *mensis Quinctilis,* CIↃ. IↃ. XCVIII. *Subscriptum,*

De Codt.

Quæstio

QVæstio instituta per Honoratos Dominos Prætorem, Coss. Senatores, & Concilium Vrbis Antuerpiensis, de falsa confessione cuiusdam Petri Panne, qui nuper in Hollandia sanguine luit. E Brabãtico Latina.

Theodorus Bul annorum circiter XXIV. *textor subsericarius, natione Iprensis, hic in ea Vrbis parte, quæ noua dicitur, ad trium Regum insigne, in quodam cubiculo inquilinus, de hoc rogatus, eóque fine accitus in Iudiciũ, solemni iuramento affirmat, Petrum quemdam Panne Ipris natum, arte doliarium, hebdomade Pentecosten proximè insecuta, Mercurij aut Veneris die, sub horam primã postmeridianã, adeundo ad diurnas operas cõspexisse in* Kipdorp *(vicus is est) assistentẽ ad ianuam cuiusdam lintearij, ac loquentem vni domesticorum. Hic Petrus viso Attestante lætabundus accessit, hisce similibúsve pæne verbis vsus: Videtur huc te Deus cupienti destinasse. nulla mihi omnino hac in Vrbe amicitia, notitia, vel ad victum pecunia vlla. fugi Duaco creditores carcerem minantes. quidam quoque sunt insecuti vt caperent (binos aiebat vidisse in equis) & pecuniolam, si qua erat, milites in itinere abstulère, penula mihi percommodè relicta. Ac veritus ne huc creditores veniant & inueniant, meditor Zelandiam vel Hollandiam, vbi, si ipsis ita videbitur, me quærant. Quapropter poposcit ab Attestante pecuniæ mutuæ aliquantum. sed dum is affirmaret non habere, petebat vnius saltem alteriúsve noctis hospitium, quod ille hominem miseratus concessit, cúmque prima nocte in suo cubili ad focum in puluillis (defectu lecti) cubitantem somnum capere permisit, cibariáq. obtulit quæ fuère ad manum. Postridie quærẽs Petrus de domicilio Oliuerij Thibault Iprensis, Attestans*

eum pæne perduxit, tectóque commonstrato ad operas suas profectus est, in angiportum Sagittarioru͂ (signum domicilio appensum est Campyloxylon) quò Petrus sine mora venit, dum dictum Oliuerium conuenisset, admodum desperanter questus Attestanti, negasse pecuniam mutuam dare. Atqui Petrus χρηματιςικὴν *seu viam pecuniæ in iter parandæ ignorans, rogauit Attestantem congredi ne nollet, adeśéque pallium vendituro. fecit; ex eóque in promercali seu nundinario Veneris foro, à vestiario ad insigne Quatuor Edmundi filiorum, redegerunt* V. *florenos. exinde in aliam digreßi officinam, cùm Petrus crederet tantula pecunia iter suum nequaquam confici posse, laneum nigri coloris subligaculum quod gestabat, permutauit cæruleo, & in auctarium* XXV. *sestertij eidem acceßère. Sequenti item nocte apud Attestantem pernoctauit Petrus, ac tertio die conscensa naue in Hollandiam vel Zelandiam nauigatione transmisit, Attestante qui hominem fuerat comitatus ad ripam scaldis (vulgo* VVerf *vocant) in quadam taberna relicto, ad expediendā decem sestertiorum symbolam: quod nomen ab Attestante interea iterum & sæpius exactum fuit. Petrus siquidem maturandum sibi esse simulans, quòd postridie dies Compitalitius seu Dedicatio esset, ac metuere dicebat ab Iprensibus, si qui fortè festo adessent, cognosci, discesserat hospite insoluto. Rogatus Attestans nouisśetne vel olim vidisset prædicti Petri Panne vxorem, & an pecuniam vllam vestémve reliquisset mittenda coniugi, respondit negans.*

Oliuerius Tybault mercator annos XLII. *natus, origine Iprensis, habitans prope Cœnobium Prædicatorum hîc Antuerpiæ, (cuius ædibus signi gratia Sidus aureum) de hoc rogatus, & per accensum Iudicio adesse iussus,*

iussus, dixit, adhibito in id solemni iuramento, ita se habere rem; hebdomade à Pentecoste, tempore antemeridiano, ædes suas adiisse quemdam Petrum Panne Iprensem, manu vietorem, satis pannosum: ac dum percontaretur Attestans quî se ibi reperisset, queribundus respondit, ægre iter suum perfici posse viatici defectu; rogans essétne ipsi opportunum, duas, tres, quatuórve Flandriæ libras vtendas dare, quas Ipris eidem redderet? sed vti Attestans ex nuncio Iprensi antea acceperat, eidem Petro ob contracta nomina fuisse iniectam manum, dixit tum sibi minùs promptum esse. Quo audito, petiit porrò Petrus tres quatuórve florenos. ad quod Attestans, præstolaretur se in Peristylio seu Xysto mercatorum. Ita deinde facienti, denuóque flagitanti pecuniam, respondit Attestans, auditione accepisse, eum desiisse Ipris degere, sed semigrasse. Contrà Petrus, mentiri eos hoc qui dicerent, quandoquidem ibi etiámnum vxorem ac liberos suos reliquisset: & si Attestans ei negaret pecuniam, non difficulter alibi inuenturum. quo dicto Attestans motus fuit hominem deserere, professus se nihil ei debere, tametsi in eleemosynam florenum misero destinasset, quem nummum eum in finem contulerat. Declarat præterea, à dicto Petro Panne numquam conuentum esse de syngrapha mercatoria, qua ipsi pecunia vlla à se vel alio quopiam numeraretur. Actum testatúmque XI. Iulij, CIↃ. IↃ. XCVIII.

Ioannes Pylinx vestium promercalium aperiens officinam, natus annos sex & triginta, degens hîc Antuerpiæ prope nundinarium Veneris forum, habens domicilium, cui Quatuor filij Edmundi est ædium index, citatione adesse iussus rogatúsque, iuratus asseruit, probè meminisse in hebdomada superiorem Pentecosten conse-

cuta, die qui erat Veneris, duos ad se venisse sibi incognitos hora pomeridiana (alteri, à quo heri conuentus est, audit nomen esse Theodorico seu Theodoro Bul) venum dantes laneam chlamydem coloratam V. *florenis (quæ deinde venierit* V. *ac dimidio) eúmque qui pallium vendebat, prætexuisse inopiam pecuniæ conficiendo itineri, cùm ea aliunde non suppeteret. Postquam etiam Attestanti obtulisset laneum nigri coloris subligar, quo tum vtebatur, viliore permutandum, vt aliquod inde auferret peculiolæ corollarium, ait de hoc inter eos non conuenisse, itáque discessum esse. Actum testatúmque* X. *Iulij*, CIↃ. IↃ. XCVIII.

Catharina Bertram, Firmini Bertram propolæ seu scrutarij filia, commorans ad signum Rubri leonis sessitantis, iuuencula annorum XXVII. *in Iudicium vocata rogatáque, affirmat iurato iusiurando, aliquanto iam temporis lapsu (diem non meminerat) domum suam venisse virum quemdam sibi modò ostensum, nomine, quantum intelligit, Theodoricum Bul, alio eum viro comitante, eóque Flandro, vt ex idiomate signari poterat, qui questus à militibus in itinere se spoliatum esse, & egere pecunia, cogi dicebat laneas suas nigri coloris caligas, quas gestabat, permutare, ad curandam aliquamtam pecuniolam, ac demum inter eos conuenisse, oblatis nigrarum loco cæruleis, quas idem confestim induxit in pedes, additis ipsi quantum Attestans meminit,* XXV. *assibus. Quos sermones Firminus Bertram, pater dictæ Attestantis, & ipse Iudici adesse iussus, tum temporis subager in officinæ angulo desidens, professus est ac iuratus confirmauit audisse, & rectè commeminisse. Actum testatúmq. eodem die, me Secretario infrascripto præsente. Subtus,* G. Kieffelr.

Quæsi-

QVæsitum ab Honoratis Dominis Prętore, Coss. Senatoribus & Concilio Ciuitatis Antuerpianæ de falsa confessione cuiusdam Petri Panne, nuper in Hollandia plexi.

Ioannes Thibault, mercator clauorum, domicilium habens in breui platea Tornacensi, prope clauorum vel macellarium forum (vulgo Veemerckt) *non longè à Cœnobio Prædicatorum, annos natus* LIV. *qui ibidem vixit annos* XXX. *rogatus citatúsque in testimonium, declarat neque modò neque antè vnquam nouisse Petrum vllum Panne Iprensem, neque ei vel alteri cuipiam Flandro pecuniam vllam collybo curandam (Cambium vocant) vel aliter ab hinc bimestri vel trimestri numerasse. Negat etiam habere notitiam cum Domino Prouinciale, vel alijs Iesuitis Collegij Duaceni. Quæsitum num quem nosset, cui nomen Francisco Thibault hac in Vrbe? negauit nosse, præter suum filium sibi conuictorem, qui ab hinc biduum triduúmve natus sit annos* XXIII. *condiscens exercénsque artem suam apud quemdam institorem nomine Guilielmum VVisselincx, hîc Antuerpiæ ad B. Virginis cœmiterium. Declarat insuper idem Franciscus pariter præsens hoc ipsum quod pater, nullam se negotiationem obire vel commercium, proindéq. vacare omni pecuniæ cura, neque quemquam nosse Petrum Panne, ac multo etiam minus eumdem à se accepisse pecuniam.*

Ex Henrico Bul annorum XLVIII. *(natus is est in Peschan Binslij in Hannonia, pilidiopœus, degens in viridario ad Arcem, cùm priùs habitasset hic Antuerpiæ in scrutario (vulgo plthiniaco foro) quæsitum est num hoc tempore aut olim nôrit Petrum quemdam Panne Iprensem, & num ab eodem, hoc bimestri, vestes vllas*

pecuniáſve

pecuniásve acceperit Ipras destinandas? negat accepisse. Actum & probatum XV. *Iulij*, M. D. XCVIII.
Subscribebatur

G. Kieffelt.

Vniuersitas Latinè has dedit.

RECtor & Vniuersitas Duacensis omnibus & singulis has litteras visuris Salutem in Domino.

Viso lectóque exemplo cuiusdam Sententiæ contra Petrum Panne Iprensem latæ Leydæ, die 22. *Iunij*, 1598. *Veritati testimonium lubenter dantes, notum facimus per hoc publicum instrumentū, nos ex plurimorum fide dignorum depositionibus iuratis deprehendisse, Reuerendum P. Prouincialem Societatis* IESV *in hebdomada Rogationum postremarum Duaci non fuisse, qua Petrus iste Panne confessus dicitur, se per eumdem Patrem Prouincialem fuisse inductum, vt machinaretur mortem Comitis Mauritij. Præterea Nicolaum de Lalaing nullam à Petro Panne habuisse aßignationem pecuniarum (quarum in eadem sententia fit mentio) à Patribus Societatis* IESV *Duacensibus recipiendarum, nec vnquam de tali aßignatione quidquam audiuisse. Item quòd post diligentem multorum testium examinationem hactenus comperire non potuerimus, Petrum Panne Patribus iisdem Duacensibus vnquam butyrum vendidisse, sed inuenimus eundem Petrum hominem fuisse ebriosum, leuem, futilem, mendacem & suspectæ fidei. De cetero talis est opinio nobis de prædictis Patribus Societatis* IESV *Duacensibus, eorúmque Rectore moderno, vt eos viros prudentes, pios, integros, vitæ exemplaris esse credamus, & prædictum P. Prouincialem vt dignitate, ita etiam his iisdem aliísque*

virtutibus

virtutibus prælucere, nec non singulari rerum experientia & vsu iudicióque pollere. In quorum omnium & singulorum fidem, has nostras litteras à Graphiario nostro consignari iussimus, & sigillo nostro muniuimus. Datum Duaci die vigesimo septimo Iulij, 1 5 9 8. De mandato suæ Magnificentiæ & totius Vniuersitatis: & subsignatum erat,

A. Herennius.

SEnatores Vrbis Montensis in Hannonia omnibus Salutem.

De Gallico Latinę facta.

Notum esse cupimus, à Patribus Societatis IESV *hac in Vrbe rogatos esse nos, de moribus & congressu Petri Panne tribuere testimonium, ciuis & mercatoris Iprensis, qui hic versatus est plures iam annos ratione mercaturæ; quæque de eo comperta essent, in publicas Tabulas, quæ fidem facerent, referri postulasse. Cui petitioni non grauatè assensi, destinauimus quosdam de Magistratu Quæsitores seu Cognitores Collegas nostros, adiuncto iisdem Graphiario, qui plurium insignium mercatorum, quibus meritò fides haberi debeat, interposito iuramento excepêre testimonia. Hac disquisitione nobis constitit, Petrum hunc Panne fuisse ciuem Vrbis Iprensis, & mercatorem adiparium, quem viderant frequẽtem esse in hac Vrbe, complures ab hinc annos, & à trimestri, vel circiter, ad tres hebdomadas hic versatũ; ac tum quidem cùm variis interfuisset congreßionibus mercatorum, temere sumserit aggredi mercimonia, tam quæ nihil ad eum, quàm alia; coëmens sine spe, sine re, reiiciens & rescindens contractus emtionum, eosdémq. deinde admittens: ita vt demum desereretur, deprehensus in sermone perinconstans, & quasi mota mentis,*

ob

ob aßiduam potationem tam defruti seu vini adusti (quod diurnum erat) quàm comessationes & symposia, cùm semel atque iterum & sæpius vno eodémque die vacaret poculis; vt hoc agendi modo creditus sit à nostris mercatoribus quasi offensi cerebri, eóque amplius, quòd nuper sub discessum ob æs alienum captus sit: laxatus deinde sua sponte reuenerit in custodiam. Ferebatur quoque in Hollandia (quò sine litteris liberi commeatus discessisse creditur) anxios reddidisse quosdam mercatores sermonibus suis, de mercimoniis minimè veris. Quare vt tribuamus rei postulatæ testimonium, iußimus appendi hisce Tabulis publicum signum causarum vrbanarum, & subscribi Graphiarij nostri manu. IX. *Iulij,* CIↃ. IↃ. XCVIII. *Subscriptum,*

Le Roy.

E Gallico Latinè expressæ.

OMnibus presentes inspecturis Senatores Vrbis Duacenæ S.

Notum esse cupimus, inspecta Sententia criminali, per Senatores Vrbis Leydensis in Hollandia XXII. *superioris Iunij contra Petrū Panne Ipris oriundum, propria confeßione oneratum lata, quasi is instinctu Patrum Prouincialis Societatis* IESV, *Præfecti, eorúmque Collegij in hac Vrbe Rectoris, parasset Mauritio Comiti, Hollandiæ Præsidi, afferre vim ac tollere, vt enucleatiùs formula Iudicij complexa est: Nos postulatione dicti P. Rectoris, nostróque item officio ductos, optantes detegere, vti nobis incumbit, ac cognoscere facti veritatem, idoneam huius rei instituisse quæstionem, audisse & examinasse testes bono numero, qui res hic transactas certiùs cognouissent. Exacta igitur & accurata disquisitione nostro iussu habita, deprehendimus confeßionem dicti*

Panne

Panne hac sententia expressam abundare erroribus, mendacijs, ac esse falsitate plenam, adeò vt is nullam vllo vnquam tempore vendiderit aut curârit (quod asserit fecisse) butyri annonam aliúdve mercimonium in vsus huius Collegij, nec vlla eidem notitia fuerit ibidem, familiaritas vel vsus; vt inter adiutores quoque ac ministros dicti Collegij nullus repertus sit, cui nomen Melchiori V Valle. Deinde superioribus diebus Rogationum (dum dictus Panne ait communicasse cum Prouinciale & Rectore) dictum Prouincialem non fuisse in hac Vrbe, nec longo tempore antè aut etiam pòst. Demum Nicolaum Lalaing non recepisse ab hoc Panne aliquam Patrum Iesuitarum consignationem pecuniæ. quæ omnino cum eius confeßione pugnant. Denique reperimus fuisse hominem valde immoderatum, temulentiæ addictum & ebriositati, malè sentientem de fide & religione, excerebratum seu mente captum, mendacem, calumniatorem & furem, vti latiùs instituta quæstione continetur, quæ planè exonerat & innocentes declarat dictæ Societatis Patres qui accusantur, qui paßim habentur Viri probi & honorati, pij in Deum, Principem & Rempubl. pacifici & mansueti in congressu ac doctrina: & cùm sint eiusmodi, ab his supradictis probris prorsus immunes, quemadmodum pro nostra parte testificamur, pro absoluta & diuturno iam tempore, quo Collegium hîc institutum est, de iis contracta notitia; qui perpetua quadam constantia, vt dictum est, sese geßêre: adeò vt nulla vnquam de ipsis querela ad nos peruenerit. Habentes etiam peculiarem notitiam Reuerendorum Patrum, P. Oliuerij Manarei, Prouincialis dictæ Societatis, & P. Philippi Frumault, modò eiusdem Collegij Rectoris, Virorum prudentiæ virtutísque singularis, de quibus,

vti

vti neque de aliis eiuſdem Ordinis, adduci poſſumus, vt credamus vnquam voluiſſe conſulere, & dictum Panne ad hoc facinus impellere: addentes Præfectum in ſententia nominatum inter Superiores dictorum Patrum eo nomine nullum cognoſci.

QVORVM omnium probationi ac teſtimonio curauimus haſce præſentes Graphiarij noſtri manu ſubſcriptas conſueto ſigillo huius Vrbis conſignari. Datum XIII. Iulij, cIↄ. Iↄ. XCVIII.

Atque in dorſo litterarum ſignatum erat, Aprilis.

IN cuius Inſpectionis teſtimonium nos Coſs. Senatores & Concilium dictæ Ciuitatis Bruxellenſis ſigillum cauſſarum Vrbis eiuſdem iſtis curauimus imprimi. Die & Anno vt ſuprà.

Numan.

BRVXELLENSIVM
DE SOCIETATIS
IESV PROVINCIALE
P. Oliuerio Manareo
Teſtimonia.

NOS Coſſ. Senatores & Concilium Vrbis Bruxellenſis, ſcrutati verum certò aſſerimus hiſce Tabulis publicis, & teſtificamur omnibus & ſingulis eaſdem viſuris vel audituris, XXII. die Auguſti, cIↄ. Iↄ. XCVIII. coram nobis ſe ſtitiſſe infrà nominandos, qui declararunt & hîc iuramento ſolemni affirmarunt, in eum qui ſequitur modum: E Teutonico.

PRIMVM Reuerendus Dominus D. Chriſtophorus Euſacus Hybernus, Collegij Hybernorũ in Vrbe Duacenſi Præſes, annos natus XXXV. in teſtimonium ſe ſiſtens, declarauit

rauit ac rectè meminiſſe atteſtatus eſt, ſuperioribus diebus Rogationum, XXVII. nimirum poſtremi Aprilis, vſque ad III. diem Maij inſequentis, in hac Vrbe Bruxellenſi quàm creberrimè vidiſſe, & multis omnino vicibus conueniſſe Venerabilem D. ac P. Oliuerium Manareum, Ordinis Ieſuitarum in Belgio Prouincialem; eóque interlapſo tempore, frequenter ac pæne diebus ſingulis cum illo ipſo Prouinciale varia negotia tractaſſe, & præciſè id temporis eumdem D. Prouincialem, Atteſtantis rogatu, expoſuiſſe nonnulla Suæ Celſitudini Archiduci Alberto, ſibíque audientiam impetraſſe. Hinc rectè ſe ſcire, tota ea Rogationũ hebdomade dictum D. Prouincialem intra hanc Vrbem Bruxellenſem ſe tenuiſſe, cùm ipſis illis diebus continuò cum eo curarit agitarítque varias res, quæ Hybernos attingerent: ídque ſubinde ſolus; nonnumquam D. Petro Lombardo Hyberno Doctore Theologo comitante; aliquando cum Oliuerio Euſtachij Hyberno Tribuno militum, cùm vterque Bruxellæ tum adeſſet.

Deinde comparens D. Melchior Nicolaus Schetz de Grobbédonck, Dominus de Heyſt, &c. annorum XLVII. iuratus affirmauit vt ſuprà, ipſis proximè lapſis Rogationum diebus (fuerunt hi XXVII. Aprilis, ad III. ſuperioris menſis Maij) in hac Vrbe Bruxellenſi ſæpe ac diuerſis diebus vidiſſe ſuprà nominatum D. Prouincialem euntem verſantémque in Vrbe,

Vrbe ac intra idem tempus in Sacello Iesuitarum eiusdem Domini Prouincialis Missæ sacrificio interfuisse.

Præterea comparuit eodem dicto die Guilielmus Maes, annorum circiter LII. qui iuratus confirmauit vt suprà, cum Honorabili Domino Patre Oliuerio Manareo, Ordinis Iesuitarum per Belgicam Prouinciale; item cum D. & Magistro Ottone Hartio Aduocato, &c. venisse se Antuerpia huc Bruxellas XX. vel XXI. die superioris Aprilis, ac tum nominatim omnes tres vnà VVillebrochio (est id in medio itinere ad flumen) ad hanc vsque Vrbem propter crepidinem aluei Bruxellensis eo curru rediisse, qui ibidem D. Prouincialem opperiebatur. & paucis post diebus ait dictus Attestans denuo se venisse Antuerpiam ad primum diem Maij, & quinto eiusdem bono instructum sodalitio iter fecisse ad municipium Hallense, ibique etiam dictum Prouincialem offendisse, & in æde sacra vidisse, ac deinde eodem vsum hospitio (cui ædium index est Cornu) vnà cibum sumsisse, audisséque ex auriga, eumdem Dominum Prouincialem eo die Niuellam proficisci, in quod iter currus pro foribus erat, vidisséque eumdem iter ingredi.

Similiter comparuit Victor Paessens essedarius, annorum circiter XXXI. Bruxellis habitans, & ex animi sui sententia iurans vt suprà & affirmans, certò scire diebus aliquot ante Dedicationem huius Vrbis, quæ incide-

L 2 bat

bat in III. Maij, (diem præcisè non meminit) suo curru VVillebrochio huc vsque vexisse prænominatum D. Prouincialem cum alijs quibusdam; omnino etiam sciens se eumdem D. Prouincialem ex hac Vrbe eodem curru prouexisse ad Vrbem Hallensem, inde Niuellas, & deinde Namurcum; meminitque id accidisse biduo post diem Compitalitium Bruxellensem, qui Martis erat, nimirum V. Maij: memor quoque octo vel nouem diebus ante hanc profectionem, eumdem Dominum Prouincialem in hac Vrbe continuò vidisse, ac subinde salutasse, eúmque cum ceteris in Sacello Iesuitarũ Sacrum dixisse.

Item XXVIII. die superioris Augusti comparuit etiam Dominus ac M. Otto Hartius Aduocatus annorum XXXXIX. qui solemni iuramento declarauit vt suprà, & testificatus est verum esse, se antegressi mensis Aprilis XX. vel XXI. die (ne aberret) venisse Antuerpia Bruxellas, inuento ad nocturnam Vrbis portam Venerabili D. & P. Oliuerio Manareo, Ordinis Iesuitarum in Belgio Prouinciale, comitante P. Melandro Procuratore Collegij Antuerpiensis, & alio præterea tertio eiusdem Instituti, cui se iuxta Guilielmum Maes in cubili nautico applicuerit, quo noctis tædium mutuis sermonibus fallerent. inde adpulsos VVillebrochium vltrà profectos esse Bruxellas eodem sodalitio, certóque vehiculo, quod VVillebrochij ad ostium

oſtium fluminis Prouincialem opperiebatur, vnáque toto itinere Bruxellas vſque, varia omnis generis & argumenti habuiſſe colloquia, vt tempus & occaſio tulit. addens ſe prædictum D. Prouincialem rectè noſſe, tum famâ publicâ, & quòd is ſibi apud Licentiatum Franciſcum Marchantium pro eo oſtenſus eſſet; tum quòd cum eodem fuerit in ædibus Decani Sanctæ Gudulæ, Domini Petri Pantini.

Demum teſtificamur Nos Coſs. Senatores & Concilium prædictum, vti aliis peculiariter inſtitutis huic rei indagandæ quęſtionibus nobis conſtat, prænominatum Dominum Prouincialem Oliuerium Manareum huc Bruxellas veniſſe in Domicilium Societatis IESV XXI. ſuperioris menſis Aprilis, exindéque demum receſſiſſe V. Maij.

IN *quorum omnium fidem Nos Coſs. Senatores & Concilium Ciuitatis Bruxellenſis ſignum rerum vrbanarum his imprimi iuſſimus, poſtremo Auguſti,* cIↃ. IↃ. XCVIII.

Numan.

PRAETEREA *Nos Coss. Senatores & Concilium præfatæ Vrbis Bruxellensis*, hisce litteris certiores omnes reddimus & testamur, nouisse nos & habere Patres Societatis IESV (vti hactenus semper) tamquam Viros probos, Religione & Virtute conspicuos, ac ministros Dei, Rempublicam & quemcumque alium ad virtutem ac timorem Domini incitantes & adducentes, ac generatim in omni sua conuersatione & vita pacificos, pios & optimi exempli, nullo modo motores & seditiosos, & numquam his contraria audisse aut percepisse, saltem quod vlla veritate niteretur, &c.

IN *horum fidem Nos Coss. Senatores & Concilium nominatæ Vrbis Bruxellensis, sigillum vrbicorum negotiorum his curauimus imprimendum Die & Anno prædictis.*

P. Numan.

CONCLVSIO AD CALVINISTAS.

NONDVM vos pudet, Caluinistæ? ergo ausim dicere vos impudentes Hugonotos, &, vt grauissimus Scriptor *Seneca.* ait, *depudere didicisse*. Est sanè quod in causa hac verecundemini. *Primùm*, vos in vecordem ac stolidum victorē, terræ filium, adeò solemne supplicium decreuisse, tum gladio vt nobilem ac generosum plectendo; tum in quatuor partes findendo, velut astutum & callidum speculatorem, & hac eius insulsæ carne quaternas Leydanæ Vrbis vestræ portas, seu vallares muraléſve pinnas exornasse, vt appensa edera

quemque doceat, quid in officina habeatur venale; non satis perpendentes illud Philosophi, δεῖ τὰς κολάσεις πατρικῶς ποιεῖν· iubentis *Supplicia more Patrio sumi.* II. Vos hominem liberum vobis non obnoxium necasse, vt essetis parricidę. Legistis enim Legem: *Si quis liberum hominem morti sciens duit, Parricida esto.* Graue hominem interemisse facinus nolentem exsequi, sed solùm de eo cogitantem, & deinde nihil tale adhuc aggressum, pertæsúmq. consilij. III. Ex multis perspicere licuisse hominis stultitiam, maximè dum Vrbem ingressus ad portas stolidè quæreret, Num hîc est Mauritius? ecquando venturus? Respondẽtibus nesciri, porrò percontabatur, Quomodo id ignoratur? scitur Bruxellis. Ad has voces

Aristot.

Festus.

captum,

captum, fasśúmque esse, nonnullos Bruxellenses primarios Viros se necando Mauritio Comiti subornasse, quorum alter id temporis extra Patriam erat. Deinde confessione quà vacillante, stultitiam prodidisse, vt qui modò huic modò illi adsignaret crimen; quà etiam stolidâ, quasi Iesuitæ adeò essent obtusi, qui tantum facinus famulo suo ac mulierculæ committerent, eíque hominem stultum præficerent. IV. Vos horum omnium gnaros nihil lucis ab vlla Vrbium postulasse (solitum fieri) dum tamen is Vrbes quatuor nominaret, in quibus vestigia sui, instar limacis, reliquisset. Multi sunt Leydæ, quibus huius Iudicij nequitia admirationi fuit ac displicuit. Nam si quo modò eius confessionem ve-

ram credidiſſetis, haud dubiè Vrbes nominatas eratis conſulturi, ad Societatem IESV certiore teſtimonio apud omnes populos accuſandam, opprimendámq́. totâ, vt ſic dicam, plantâ. Verùm id viſi nolle, indicatis ſolùm Calumniam Ieſuitarum, non ipſam quæſiſſe Veritatem. v. Ita incautos fuiſſe vos, qui non videretis defectu legitimę inueſtigationis, Sententiã veſtram mendaciis plenam fore, in qua ego hac mea Reſponſione non minus ſexaginta detexi. Ey! pudenda res eſt, minutam Sententiam tot mendaciis ſcatere. In tota ſegete nihil niſi inanes culmi. excute: vera vox; *Ploſtrum palearum*. vI. De hominibus numquam viſis, numquam auditis, numquam notis tantum mali ἀκρίτως auſos eſſe ſcribere;

dicere

dicere ſicarios cædis & ſanguinis appetentes, crudelem Sectam, milleformes fraudes & proditoria facinora quotidie gignere, nec nolle exſequi, vt Reges, Duces, Principes ferro auferant è terris, cùm ipsímet toties vos inſontium ſanguine cruentetis. VII. Iudicij huius ſententiam mendaciis plenam, adiuncta atroci accuſatione, non modò duabus linguis (vt bilingues eſſetis) ſed aliis multis toties recudiſſe, in Prouincias omnes proſeminaſſe, immemores toto Orbe lõgiùs diffuſos eſſe Ieſuitas, quàm Caluiniſtas, Veritatémque magno pudore veſtro præclarè defenſuros. IIX. Inter alia mendacia vos ſcribere, toti Orbi innotuiſſe, Ieſuitas hos eſſe quos depingitis. Quid ad hæc dicturæ omnes Vrbes, Prouinciæ

&

& Regna, vbi Iesuitæ plurimos annos habitarunt, totíque innotuêre? Nimirum illud, quod Domini Duacenses, Iprenses, Bruxellenses hisce litteris scribunt, & quod Catholici Antuerpiæ, Bruxellę & alibi nunc dicunt: Ay, quomodo ore Pontico mentiuntur isti Geusij! mendacia caudata instar cometæ. Quomodo falsò onerãt hos Viros bonos, in quibus præter honestatem virtute copulatam nihil vidimus! Quî fieri potest, malitiam tantam odiúmq. humanis animis comprimi? Quid hi à Iesuitis ampliùs, quàm à reliquis Religiosis, quos non tangunt, læsi? En, mendaciorum vestrorũ laqueis has laudes eclogiáque venamini. IX. Facinus adeò exsecrabile Iesuitis esse ausos obijcere, qui nullum in iis scan-

ſcandalum ſcitis. Siquidem (Deo nos tuenti laus) Ieſuitæ ita conantur in populo viuere, vt neque Vita, neque Doctrina meritò carpi poſſint. Docent vt maiores noſtri, viuunt citra offenſionem. Putatis hæc quæ de Ieſuitis horrẽda ementimini creditum iri, qui etiam leuiores culpas tanto ſtudio vitant? Qui nos nôrunt, certò nôrũt apud nos neminem, qui ſcandalum admittat, retineri. Si quem noſtis, fidenter accuſate; patiemur eum ad vos diuertere, vt Iudas Iſcariotes ex Collegio Apoſtolorum tranſiit ad Iudæorum Synagogam. x. Auſos eſſe vos Caluiniſtas adeò grauia facinora de inſontibus Ieſuitis fingere, qui ipſi turpibus deuincti flagitiis ſcatetis abominabilibus facinoribus. Crudelitatem veſtram

mea

mea Reſponſione nudaui. millecuplas veſtras libidines, aliáq. ſcandali plena opertáq. flagitia variis meis libris aperui. Quæ ſi nondum ſuffecerint; non deeſt quod addam, potiſſimú quod noſſe, poſterorum intererit. Cæſim membratímque fiet Nequitiæ veſtræ anatomia. Criminum veſtrorum decipulis capiemini. Vulgò de vobis dicitur, quòd contra mandatum Sapientis,
Prou. 24. *Iniquitatem quæritis in domo Iuſtorum*, dum bonos omnes calumniamini, omnis generis ſpurcitiarum acervos tamquam ſoritas in ædibus veſtris, vt in Augiæ ſtabulo, altè cumulantes. XI. Nimiùm *αἰσθητικῶς* Perturbationes vobis dominari in Ieſuitas, quilibet aduertit.
Pind. Αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ παρέπλαξαν καὶ σοφόν· *Mentis autem Perturbationes*

impel-

impellunt in errorem etiam Sapientem. Hoc vos mordet,& hinc potiſſimũ viret ſulphurea Inuidiæ flamma, eos Doctrinâ ſuperare nequaquam poſſe. hîc ſudatis quaſi in ſudatorio Laconico. Suadeo, quod monènt Medici, inſpergi vobis diapaſma coërcendo ſudori. Huc vſque enim vos inconcuſſa Eccleſiæ dogmata vaniſſimè impugnãtes Diuini verbi vi adduxerunt Ieſuitæ, vt iam pudeat vltrà prouehi. Nimis hi ſcilicet vobis viuam cutem vſque ad neruos pungunt, dum non forcipibus ſophiſmatum, ſed Catholicę ac Romanæ Eccleſiæ vos armis aggreſſi, doceri volunt, quibus viis Caluiniſmus ad veſtrũ Caluinum ab Apoſtolis dimanârit, & quis, vbi, quando primus fuerit, qui Papiſticã idololatriam (ſic eam nominatis

natis

natis) in Orbem inuexerit. Hunc fustem fugiunt ac reformidant, & ad hæc miseri silent, carpionibus suis, quos vocant, mutiores; adacti pridem ad metam ἐχεμυθίας, linguámque carpionicam: alioquin euasisse se soliti dicere, si vel rimulam effugio repperissent. Ideóque libenter Iesuitis disputatione Patriáq. velletis interdictum; immo & capite deminutos, aut saltèm deligatos vspiam terrarum ad Caucasum Promethei, ne ab iis in noua hac insania impediremini. Hunc disputãdi morem ab antiquis Arianis hausistis, qui sanctos Doctores Athanasium, Hilarium, Nazianzenum, Paulinum Treuirensem alióśque ita habuêre. Non hæc in plebe effutitis, vbi etiam sine litteris homines ex ficulnea exsculpti, in

in popinis nati, ſalſamentarij & coci, qui bis bina quid ſint, cum Epicuro non didiciſtis, ventosè inflamini, καὶ βομβεῖτε ἐν κενῷ, quaſi eſſetis Hebræorum Rabbini, verè apud Platonem Thraſymachi; ac Ieſuitæ vix intereà Apologos Æſopi triuerint. Veſcimini Hæreſeos lente, hinc inflamini. *Lens* enim *ſtomachum inflat*, quod ille, φακὸς πνευματικὸς στομάχου. &, *Oua plena ſidunt, inania fluitant.* Sed quibus vel tantillum iudicij, facilè perſentiſcunt vbi hæreat aqua, præſertim dum vos Ieſuitarum Scripta ſupprimitis, quibus tamquam malleis futilia dogmata veſtra diſſiliunt; dũ charta & otio abundantes, irriſorios typos excuditis, conati Ieſuitas irridere, eos magis, quàm mereantur, honorantes. Nam, quid vult

Plin.
Dioſcorid.
Senecæ.

ſibi ectypon in cuiuſdã libelli fronte, vbi in naue vehente Papam, & Regem Hiſpaniarum, quatuor ſedent ad tranſtra remiges, Capucinus, Franciſcanus, Satisfactores & inuerſum Ius? Ieſuita autẽ clauum tenet; ad quem Pontifex, *Cura validiùs remigent*, quaſi verò Ieſuitæ imperium à Pontifice acceperint, vt reliquos omnes Cœleſtes illos & indefeſſos Religioſorum Mendicantium, alióſque hominum Sanctiſſimorum Benedicti, Bernardi, Brunonis, ceterorúmque Diuinos Ordines hortari debeant & impellere, quò Hæreticis ſe opponant, Hæresímq. debellent; cùm id omnes hi diurnis nocturníſq. vigiliis, ignitis ad Deum precibus, aſperitate vitæ ſumma, Diuinis concionibus, variis doctiſſimíſq. lucubrationi-

tionibus, & inexhauſtis laboribus agant. Inuerſum Ius dicitur Caluiniſtis antiquum Ius Cæſareum, Hæretica Reformatione minimè deformatũ. Id addam. diebus hiſce accepi librum ab Hæretico Gaſparo Miniſtro Roterodamẽſi. is velle viſus neſcio quid aduerſus meam Apologiam hiſcere: ſed nihil ad rhombum. Nam cùm profiteatur octo Propoſitis ſeu Theſibus meis (ſophiſmata vocat, quia hominem ſtrangulāt) nolle reſpondere, extra ſepta (quod aiunt) diuagans, conatúrque me à principe Quæſtionè more Hæreticorum ad ſomnia ſua traducere: non habeo id pro Reſponſo, aliúdq. exſpecto, quod melioribus rationibus, (quàm etiam iſta Leydenſis Sententia) fulciatur, cui tamen propediem cogito quid-

piam per otium (ſi quid tamen otij quietíſve irrequieti Hæretici dederint) reſpondere; ac docere, noſtros quatuor Doctores non eſſe Gladium, Patibulum, Ignem, & Aquam, vt de Eccleſia clementiſſima matre impiè mentitur: declarare quoque eius Bubonangelium noctu inuiſibiliter alicunde è campis Gurguſtidoniis, à nemine præterquam à Caluino & eius aſſeclis cognitum, cum bubonibus aduolâſſe. Nam Huſſitæ numquam fuerunt Caluiniſtæ, neque antiqui Patres, quos ille accerſit teſtes; & Caluinus ipſe numquam fuit diſcipulus vllius, à quo ſuummet Caluiniſmum doceretur. XII. Reformatã hanc Iuſtitiam fuiſſe Leydæ, id eſt, in Hollandica Geneua, Academia & ſupremo Conſiſtorio,

vbi

vbi emergens doctrina pietáſque Caluiniſtica Ieſuitarũ Societati ſeſe opponeret. Sed, quod dixit Chriſtus, *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*. Ieſuitæ ſiquidem, qui antiquam Veritatem propugnant, ne pili quidem faciunt, hilúmve pertimeſcunt omnem veſtram indoctam ſapientiam, impiúmque Miniſterium: difflantúrq. à bonis omnibus Calumniæ veſtræ, vt ab Euro folia. Metuentes potiùs eſtis quàm metuendi, & appellamini, quod ille olim dixit, *lepores galeati*; aut, quod priſci vſurpauêre, *arietes ſine cornibus*. Vbi veritas; mendacia cedunt, vt Soli tenebræ. Horum ſanè in nos Calumniæ, ſputatilica crimina, & conuitia ſυκοφαντικῶς ab his ſannionibus iacta, ſunt vt lappæ, quæ mordent ſupremam

Matth. 16.

Cornif.

tunicæ lanam. decussas calcamus.

Quapropter vt concludam, obsecro, animos vestros ingressi hæc duodecim Capita vobiscum perpendite. videte, veráne sint an falsa, pudeátque vos in Dei hominúmq. oculis ita obfirmatè in Caluinistica vestra Hæresi hęrere, propugnatores Ecclesiæ Sanctæ calumniis & extremo conatu fugare velle, dum eos Veritate & rationibus non potestis euincere. Consultius foret, si Hæresi eiurata, cum Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, datis dextris & amico fœdere iungeremini. Tunc in aurea & bonis omnibus cumulata Pace vitam agitaretis, quam ferrea vniuersorū bonorum indiga Hæresis ademit: finitáque ac decursa hac vita mortali, rebus omnibus ad Iustitiæ lancem reuocatis,

catis, in quietem illam perennem Hæreticis omnibus clausā admitteremini. neque enim opinor vos credere omnia ſeptempeda finiri. Periculoſa Dilatio, cùm incertus dies ſit Morti præſtitutus, ne contingat cuiuſque Conuerſioni diem conſtitutum lamentabiliter præteriri. *Non eſt enim in Inferno Pœnitentia nec Confeſſio*. Nouiſſimè moneo, MEMENTOTE NOVISSIMORVM. *Damaſc.* *Eccli.* 38. *v.* 21.

Franciſcus Coſterus.

ERRATA.

Pag. 32.	*Verſ.* 12.	Epaminundas	*leg.*	Epaminondas.
51.	4.	ab ea		ab eo
107.	7.	accepiſſet.		accepiſset?

PINDARVS.


Ὀλ. ᾠδ. α.

Ἦ θαῦμα τὰ πολλά.
Καί που τι καὶ βροτῶν φρένα,
Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον,
Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Eadem Latinè.

Multa ſanè miranda.
Etiam mortalium animos,
Vltrà quàm Verus ſermo,
Scitè diſcoloribus Mendacijs
variatæ
Fallunt Fabulæ.

Ε'κτύπωμα Sicæ Tragicæ, quam necando Comiti Mauritio à Iesuitis cusam aiunt Caluinistæ.



Non est huic similis. 1. Regum xxi.

PINDARVS.


Ὀλ. ᾠδ. α.

Ἦ θαῦμα τὰ πολλά.
Καί που τι καὶ βροτῶν φρένα,
Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον,
Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Eadem Latinè.

Multa ſanè miranda.
Etiam mortalium animos,
Vltrà quàm Verus ſermo,
Scitè diſcoloribus Mendacijs variatæ
Fallunt Fabulæ.

Ε'κτύπωμα Sicæ Tragicæ, quam necando Comiti Mauritio à Iesuitis cusam aiunt Caluinistæ.



Non est huic similis. 1. Regum xxi.

INDEX
Capitum huius libri.

Com-

PARTE ALTERA.

Quæſtio

Approbatio.

Hanc Sicam Tragicam, *nuper Belgicè editam Auctore Clarißimo Viro Domino ac Patre* P. Francisco Costero, *Societatis* Iesv *Doctore Theol. nunc verò Latinè à Doctiß. Viro Domino ac Patre* P. Aegidio Schondoncho *Brugensi, eiusdem Societatis Presbytero, grauißimè scriptam, typis dignißimam esse iudico. Ea proinde ad falsißimas Caluinistarum in Venerabilem hanc Societatem* Iesv, *toti Ecclesiæ vtilißimam, detegendas ac retundendas Calumnias, maximo Christiani Lectoris solatio, paßim per omnes terras vulgabitur.*

Datum Antuerpiæ, IIII. *Kal. April.* Anno cIↃ. IↃ. xcix.

Siluester Pardo, S.Theol. Licentiatus, Cathed. Ecclesiæ Antuerp. Canon. Librorúmque Censor.

ANTVERPIAE
EX TYPOGRAPHEIO
TROGNAESIANO
cIↄ. Iↄ. XCIX.